Assistentiæ Germ.æ

RHABARBARVM DOMANDÆ BILI,

QVAM IN APOLOGIA SVA PRORITAVIT

LVDOVICVS CAMERARIVS

propinatum

A


FABIO HERCYNIANO I. C.

Verus auctor e P. Iacobus Kellerus









Anno M. DC. XXV.



INGRESSVS
IN LIBRVM
AD
Candidum Lectorem.



EQVIDEM *non vanè augurabar, amice Lector, cum Hispanicam Cancellariam liturâ delerem, Camerarij ingenium Caluiniano spiritu fastosum, alta silentia agrè laturum, si facinora eius publicis mortalium oculis exponerentur; haud quaquam fefellit augurium; nulla repagula prorumpentem linguam coercent. Loquitur Camerarius, imo vero, vt satis exaudiri possit, immaniter vociferatur aduersus me, aliósque eius facta vulgantes, & silet erga se facientem. Duo potissimum atrocius ingeminat, & sibi fieri iniuriam, & se nullius rebellionis affinem. Primum vnus dicit, & ego in vno credo, nempe quod se tam bene habeat, vti gloriatur, in exilio. Alterum omnis orbis inficiatur; & miraretur etiam impudentiam, nisi noti oris homo Camerarius loqueretur. Ea, quæ in Cancellaria Anhaltina de ipso memorata sunt, vt frustilla malignè detorta ridet, inopia nostrâ securus, quasi nobis alia non suppeterent. Falleris mi Camerari. Arcas & forulos chartophylacij vestri nondum vacuauimus; videbis propediem magno examine & tua, & tuorum Sociorum seditiosa, sacrilegáq; scripta, aut omnia, aut tibi instar omnium futura. Iam calamus ma-*

 det,

det, & feruet, vestrorumque imaginem scriptorum designat iisdem lineamentis, & coloribus. Qua de re, & antehac, & iam paucula delibaui, quæ libellis meis insererem, ne lectorem eandem repetendo scenam offenderem.

Tuas tamen, Camerari, aliquot Epistolas, quas periisse haud dubie speras, hic velut arrham maiori moli præmitto, certissimam vesanissimorum consiliorum tuorum testem. Nihil aliud aut feceris aut scripseris, omnia in his litteris patrasti, propter quæ Catilina hostis iudicatus, bello abs se conflato periit. Quo magis mirum est te ausum scribere Apologiam! quasi perduelliones vspiam terrarum defendi possent! Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas Camerari; Apologiam scripsisti, apologum specto;

Amphora cœpit
Institui, currente rotâ cur Urceus exit?

Sed nolo in vestibulo statim theatri te deiicere, placet illibatas vires in iustam libri arenam seruare; quanquam viribus opus non erit magnis, neque enim cum Antæo nobis res est, quem vincendum brachiis in aërem sustollamus; & iam non procul aëre fuit Camerarius, nam dum loqueretur, aërem verberauit.

Cæterum, benigne Lector, ad omnes Camerarii querelas anteuertendas, ipsas eius litteras, vt inuenimus, damus, nulla re detractâ, nulla addita, nisi fortasse additum honorem dicas, quod latinè didicerint. Sed is honor exiguus est. Quæ barbara mente scripta fuêre, ea vortit interpres barbare duplici de causa; & ne à vestigiis germanicis absisteret, & ne pessimis in rebus bona verba perderet. Certe Francofurtum proficisci ad mercatum non placuit, & latinitatem pro Caluinistis emere. Neque enim merentur, vt politicè tractentur, qui politiam euersum eunt.

Rhabar-

Rhabarbarum DOMANDÆ BILI,

QVAM IN APOLOGIA sua proritauit

Ludouicus Camerarius, *propinatum à Fabio Hercyniano. IC.*



ET formicæ sua bilis inest, vetus verbum habet; quid animantium maioribus desit

Illa soporatæ stimulatrix indolis iræ?

Certè ideo & brutis, & hominibus hanc flammam rerum conditor ingenerauit, vt naturæ languorem excitaret, efferrétque; eâ tamen in ratione vtentibus mensurâ, vt ne sese exereret, nisi cùm opus; & vbi opus, vt ne modestæ prudentiæ frenos excuteret. An feras inter Camerarius numerari velit, nescio, hominum humanitatem per insolentem iram oblitus. Nullus Vrsorum, nullus Aprorum tanto furoris æstu corripitur, frendétque. Quis hos caminos succendit, nisi non ignarus animus rerum, quas fecit, ne legerentur, & tamen fierent?

Conscia mens recti, famæ mendacia ridet.

Mordear, carpar, lacerer innocens quorumcunque malignis dentibus,

Non doleo innocuus, nec vano vulneror ictu.

Virtus tuetur quemcunque; & ab ortu mundi vix cuiquam facta iniuria est, quæ semper latuerit. Si nihil aliud, mors detegit illustriore probitatis famâ. Quare nimiùm, Camerari, efferbuisti in hac tua, quam laudas, innocentia, quæ si prius sancta fuit, nocens esse cœpit, vbi nimiùm irasci cœpit. Canis iactile saxum, quod aberrat ferme tacitus spectat; in latera impactum latratu, & morsu excipit; ita tu haud dubiè assoles mi Camerari. Nam quæ in te veri tela vibrantur, & malefactorum non inscium pectus sauciant; ea immani rabie inuadis voce ac scripto Lycisca clamosior. Deprædicas tu quidem animum tuum mitem; & ferociam tibi obijci iniuriam putas; sed qui tuam Apologiam legit, iras, & diras legit, geminum Ferociæ partum. Mansuetudinem tuam cum videro, laudabo; sed procul experiar.

At loquaris ipse: *Hoc sæculo*, aïs, *nostro cuncta calamitates, quibus humanū genus affligi potest, videntur coniurâsse, bella, fames, morbi, exilia, cædes, rapinæ, vastationes, confusiones, incendia, ciuiles discordiæ, & inimicitiæ immortales, vno verbo,* κακῶν θάλασσα. Nec decori ratio vetat, Camerari, quin exclamem te instar Apollinis oracula fundere; planè sæ-

culum

culum nostrum horum malorum ferax est; & quidem Caluinistarum fœcundissima operâ; Ecquis enim nobis bellum ciuile parauit præter Caluinistas? Repeto, quod sæpius dixi, & cuius cælum, terráque testis est, etiamsi tu centies deieres. Vos Caluinistæ tam funesti belli auctores estis, vt frustra queraris vos in Phalaridis boue, quem genuistis, torreri. Edic mihi, litigandum enim est cum proteruo, an per Imperiũ miles sub signis fuerit, cùm Pragæ Caluinistarum Vesania in regia sede bacchabatur; & fenestræ ad impium iactum tremerent? imo neq; post tantum facinus arma Cæsar cogitauit; cogitauit facilitate vos flectere, & lenissimè mulcere vulnus; neque de ferro circumspexisset, nisi vos sumpsissetis, vt non solum in Præsides eius, sed & ipsum Imperatorem manus verteretis atque etiam impiaretis. Quis alius in Germaniæ plagis hoc bello tympanum pulsauit ante lectas Mansfeldij copias, & errantes alibi dispersim magno numero milites conscriptos? Bellonam Catholici vbi aduertêre, tanto vtero parturire, tuendæ salutis causa & ipsi copias parârunt, haud imprudenter; cur enim armatis obuiam nudi irent? Videat & is ferrum, qui ferrum ostentat.

Non nescis deinde, quid nuntij Vnistarum Legati ad finem anni 1619. Monachium detulerint. Verbosa quidem ea legatio fuit, sed hoc compendio tota refertur. *Fac Catholice, quod volumus, aut morere. Interea tamen duos menses habe, per quos respondeas.*

Itaque

Itaque octo hebdomadas, quibus viueremus, Clementia Caluinistica nobis permisit, ferrum, & ignem de cætero experturis. *Fames, exsilia, cædes, rapinæ, vastationes, confusiones, incendia, ciuiles discordiæ, inimicitiæ, morbi,* quos narras, belli pedissequi sunt, huius quia causa es, etiam priorum es.

At vt magna hæc mundi mala, superat tamen calumnia quæ passim Caluinistas præter meritum iniquissimo hoc tempore, exagitat. Quæ vero est ista calumnia, Camerari, quæ te adeo excruciat? An calumnia impingi potest homini ob flagitia exuli, cùm ei obijcitur, quod meruit, & ob quod meruit? Dixit Fabius te consilia dedisse Palatino temeraria, dixit te in Cæsarem, Catholicos ordines, imo in ipsos quoque Lutheranos molitum atrocia, & adhuc moliri: an ob ista Calumniator est? Quæro, an nō tuo consilio Palatinus Bohemiam ambierit, & adierit? Si ais; criminis reus es; si negas, quis fatebitur? Plessius, an alius arcanorum? ne isti quidem quod fecêre, dicent. Si omnes insontes, si nemo huius consilij auctor fuit, quomodo alicubi scribitis omnia maturo consilio instituta, & contra omnes fortunæ euentus firmata? Habuistis consilium, Camerari, sine vllo consulente? Si dicas ex tua sententia nihil decretum, abhoruisse mentem tuam à tam perniciosis conatibus, necesse est, vt testibus probes, aut collegis tuis, aut protocollo; nam vbi Senatusconsultum perperam fit, culpa Senatoribus adscribi-

tur,

tur, inter quos cùm & tu fueris, culpa immunis non eris, nisi innocentiam probes, quia, vti iuridicè loquar, præsumptio contra te est.

At at in omni hac innocentia tua hoc saltem dabis te in exequendo aliorũ consilio impigrum fuisse, & fanda, nefandáque exhausisse mandata solerti & digna Camerario opera; Hinc enim tot terras peragrasti, tot vrbes adisti, tot aulas visisti, tot labores impendisti, vt regnum Palatinus alienum acquireret, acquisitum retineret, amissum recuperaret. Quæro quid hic fateare? imò verò ingenuè confiteris te boni Ministri partes explesse, te gnauum consiliarium egisse, idque bona fide, quam Domino tuo debebas. Bellè factum, mi Camerari; bellè omnino. Rem damnasti, & tamẽ, vt fieret, iuuisti. Hæccíne tua innocentia? Ægistus adulterium cogitat; tu dissuades; rectè; sed vbi obfirmatum aduertis, adulteram procuras; hoc non rectè. At multa facere cogitur Rege volente seruus. Iterũ bellè; interfice etiã te, si idem iubeat, videbo quàm bellè.

Dices te rem vt malam non damnasse, sed vt periculosam, atque huic semel susceptę licuisse omnia consilia conferre, hoc effugio, mi Camerari, nihil veniæ impetrabis. Scisti Bohemos aliena dare non potuisse; scisti, à spoliantibus nihil accipi potuisse. Ergo rem malam iudicasti; si iudicasti, temere omnia suscepisti; temere omnia executus es; ita, vt meritò exilij pœnas luas, maiores timeas. Non igitur calumniam pateris, Camerari; sed Fa-

bio infers, dum ſcriptum eius calumnioſum vociferaris, & calamum quaſi laſciuiorem inceſſis. Neſciebat Fabius te de regio Agamemnonis ſanguine ſatũ, & ſi iocoſius quid de te ſcriberet, ſcurrilitatis notam incurrere. Quis enim tandem tu es Camerari? perduellionis crimine quod damnatum iuues damnatus, & omnium manibus, ac telis commiſſus? Ad verba exclamas, verberibus dignus. Sed ego hoc loco par tuo pectus non oſtendam ſæuum, & truculentum; hoc tantùm dico, te & tui ſimiles noſtrum, & patriæ interitum nobis machinatos; cum iam ſerius impios conatos veſtros innoxijs verbis ridemus; ſcurræ à ſicarijs appellamur, quaſi in reuerentiæ regulas peccemus apud profligati honoris Caluiniſtas. Si riſum noſtrum tantopere execraris, iras habe, & diras, & quidquid Furiarum ex Acheronte mauis. At non ſcurræ ſolùm, ſed & canes & Aſini tuis ſapientibus ſunt, qui te, & alios viros bonos, ac de Republica bene meritos inſectantur, atque idcirco ſupereſt tantùm, vt ſubſumas, ſed hoc fecit Fabius, nam virum bonum, hoc eſt, Camerarium, ac de Republica bene meritum contumelijs affecit, Prope eſt, vt exclamem ô virum bonum, per quem Bonum orbis perit! ô virum bene meritum, & alia, & Perilli taurum!

Sollicitudo illa tua, qua ægreſcis aduerſarij tui neſcius, vaniſſima eſt; potes enim tu timere Fabium tibi parem non eſſe, tametſi Cancellarius Sileſiæ non ſit? Tu nec

Fabio,

Fabio, nec Fabio minori par es, vtpote honore omni, fama, & fortunis, exutus. Nosti, quid famosi exulis nomen secum vehat? Apponam superbissima verba tua pag. 5. *Nunc autem cum quo me componam? Si parem mihi dignitate, genere, & autoritate fingam, fortè Pædagogum feriam, aut puluerulentum aliquem librorum Custodem*, imo verò, mi Camerari, similiorem tibi ferires, si scopatium aliquem, vt cum Iureconsulto Vlpiano loquar, verberares. Quæ est enim tua hodie tanta dignitas? qui sunt ambitiosi illi tui tituli? Dignus es, &c. Nec plura effabor, intelligis me, quia & te proscriptum intelligis. Sed fortasse Fabius nec genere tibi par esse potest; quia tu Priami regiam vagitibus implesti, & in purpura natus, instar magni Alexandri, non nisi cum purpuratis certamẽ suscipis. Verum infra erit locus genealogiam tuam describendi, nunc auctoritas tua scilicet me moueat, auctoritas, inquam, quam venditas, & vel pueri irrident, vix canes cũ præteris, latratu abstinent. Exul es, proiectus es, ad incitas redactus es, & tamen te adhuc circumspicis, admiratísque magnitudinẽ tuam in alieno solo, vbi comedis, quod alij tibi relinquũt. Nec dignitate tantũ, genere, auctoritatéq; celsus emines, sed animo quóq; ingenti quo cum Phocione, Catone, Socrate, Rutilio ciue Romano calumnias despicis, sed etiã cum Themistocle, Alcibiade, Scipione, Africano, Cicerone exilium heroicè sustines, gratulor; gra-

tularer fusius, si non meruisses. Illos, mi Camerari, (quos ex officinâ Rauisij Textoris credo, enumeras, vt aliquid legisse videaris) inuidia patrijs sedibus extrusit, te mala consilia eiecerunt, te malefacta fugarunt, & perinde est, ac si Petrum, Iudámque compares, quòd vterque suspendio vitam finiuerit, magno causæ discrimine. Si innocens fuisti, si à rebellione alienus, si consilio bonus, cur solum vertisti? & ad aliud cælum festinasti? Fuga isthæc nullius virtutis testis est; Mens mali conscia pedibus alas assuit, vt prouincijs excederet, quas scelus patratum vindices fecerat.

Ferociam tibi obiectam grauatè concoquis, & amabiles tuos mores etiam Catholicis probatos laudas; Quibus, oro te, Catholicis? Forma colórque vultus tui omnes intuentes docet, ingenium tibi liuidum & iracundum; rubedo enim, qualẽ in capis Indiæ dimicaturis videmus, flauedini intermicat, certũ flagrantis animi indiciũ. Neq; diu inter colloquendum iram premis, quando premeris. Dem verò tibi, placidam subinde frontẽ, vbi vsus, sed quò serenior vultus, eò sæuior mens est, nec ferocia tam corporis est, quàm animi Caluinistici in perniciem Catholicorũ æstuantis. Ferociam, quam tantopere amoliri conaris, hoc ipso in tuo scripto prodis & calami tui oblitus, quem minimè acerbum promittis, facibus, & furijs librum omnem infarcis, vtque maiore cum facilitate lectoris gratiam prorites, magna capita, ipsósque Principes quasi & ipsos

ipſos manu Hercyniani appetitos producis, fruſtra; Quidquid Hercynianus ſcripſit, in rebelles ſolùm, proſcriptóſque ſcripſit. Eccleſia tua, quam ipſemet neſcis, niſi cùm loco verbi Dei haſtas, & bipennes declamat, concioníque vſurpandas perſuadet, nihil ad Fabium.

Age igitur, mi Camerari, vt polliceris de te tantùm, tuíque ſimilibus, quia & ego intra has ſolùm metas depugnare conſtitui; nam etſi generatim quædam de Caluiniſtis prolata ſunt, generatim ſolùm eos petebant, qui rebellauerant: intra quos ſi tu non es, extra teli iactum es. At cùm horrendum vocifereris ad ſagittas meas, argumentum eſt te inter eoſdem percuſſum, & quidem luculento vulnere, nam haud dubiè ictui patet anteſignanus.

Atque hactenus Camerarius proluſit tantùm, nunc in iuſtum certamen deſcendit, & iniuriarum non obſcurè poſtulat Fabium, quod conſiderationum Caluiniſticarum Camerarium ſuſpectarit auctorem; quaſi ingens crimen eſſet Milonem homicidam ſuſpicari homicidijs aſſuetum! Tu ipſemet, Camerari, me in hanc opinationem induxiſti ſtilo & filo orationis tibi familiari; verba, & dicta tibi in congreſſu vſurpata in chartas transfuſa legimus, magna ipſius Camerarij teſtimonia. Deinde conſiderationum auctor non fuit quiſpiam de grege ſcriba, ſed Deus maiorum gentium in arcana Iouis Curia, regalia inter ſubſellia ſublimis; horum autem pauci fuêre, & ferme noti, Comes Solmius, Cancellarius à Grüen, Pleſſius, Camerarius,

rarius, vterq; Paul, & fortaſſe etiam Comes Naſſouius. Ex his certè non niſi fatua ſuſpicio alium mihi deſignauerit præter Camerarium. Alter Comes iam mortuus fuit; & ſueuêre eiuſmodi heroës ferro certare, non calamo. Pleſſium, & vtrumque Paulium apud me cogitationi exemit latina dictio, in qua eos adeo exercitatos non rebar. Vnus, tu Camerari, ſuperabas, in quem meæ coniecturæ telum defigerem; neque adhuc perſuadeor aberrâſſe me à ſcopo. Quaſi verò alius, dices, non potuiſſet edoceri omnia, & edocta ſcribere. Potuit aliquis inſtrui, non neſcio, ſed mox te rurſus inſtructorem ſuſpicor, vix enim alius tanta arte ſecretum aperuiſſet.

Tertiò profeſſus ſum palàm, me non errare, etiamſi errem in auctore; nam licet liber ille Imperatori, & Catholicis Principibus iniurioſus tuo calamo non exaratus ſit, eſt tamen ſcriptus tuo atramento, tuis verbis, tuo ſenſu; quin ſcripturus ipſe, non alium ſcripſiſſes. Dic enim mihi, an auctoris illud ſcriptũ improbes; ſi improbas, perdidiſti cauſam, quam defendis; ſi probas, reus es, & te vnũ inter auctores rerum, quæ ibi narrantur, negare non potes.

Quia verò mihi de tuo calamo tum liquido nihil non conſtabat, dixi me tecum, veluti cum auctore acturũ; egi, & nullam cuiquam iniuriã intuli, tametſi non omnium te reum clames. Si tu non es, ſocius tuus eſt, cuius tu ſocius in ſcelere patrando fuiſti. Qui participat totum, participat etiam quamlibet partem. Inter IVuiros, aut VIuiros

ros fuisti, qui causa tanti mali, quod Germanniam prope omnem inuoluit; segregare te debebas, & Societati malorum valedicere, si bonus haberi volebas, nunc inter sontes constitutus, sontium loco censeris, nisi me credere velis Cethegum, Catalinæ socium de patriæ interitu nihil cogitâsse. Adhæc si auctor Considerationum non es, librum meum illi porrige, quem tu scripsisse nosti. Tela in tuum nomen vibrata in ipsum dirige, & sinas eum vociferari, qui tangitur. Quid tu insanum boas contra gladium, qui in te quidem stringitur, alium tamen sauciat? An quia & tu & ille idem animus? eadem mens? eadem ergo patiamini in pœnâ, qui eadem meruistis in crimine. Aiax, cui tu me comparas, fortassis essem, si cùm te percutere nitar, alium duntaxat percuterem; Neminem vnum verbero, dum vnum verbero, quia in vno plures, qui verberantur, præsentantur. Quare siue tu, siue alius à me vapulet, etiam Camerarius vapulat, quia in vapulantium grege est.

Non diffiteor me non inciuiliter modò, sed etiam malignè acturum fuisse, si rei incertus hominem aliquem, cuius fama quoad rebellionem hanc integra fuisset, tam ineptarum Considerationum fabricatorem lectoris suspicioni obiecissem; cùm tu autem inter principes fueris, quando consilium habitum fuit de alieno regno mancipando, cùm omnem laborem, ac pæne animam tuam effuderis in concursationibus, prensationibus, vt omnes malè captum iuuarent, nemo impediret; cùm totum te

Cæsaris

Cæſaris conatibus oppoſueris, & ſummo Magiſtratui hoſtis fueris, poſſum ego iniurari, cùm dico te facere, quod facis, aut ſcribere, quod feciſti; & adhuc facturus es? Neque enim meliorem mentem ad hodiernam diem induis. Scribis, doces, hortaris, preces admoues, ne quis melior te ſit, vel ipſo Turnio teſte, ſi fateri velit, quæ in litteris tuis legit, perfidè cœpiſti, perfidè produxiſti, perfidè finies.

Quia verò tuo libro argumentum miniſtrarunt Cæſaris, Principúmque litteræ, quarum ceram ſacrilego auſu incidiſtis; negas te illarum interceptorem; & fidem apud me inuenis, quia qui te nouit, ſatis ſcit tibi tantum animi non eſſe, vt ambages viarum & itinerum latibula cum armis inſideas, nimis imbellis bellator, qui pugnas pugnare non ſoles, ſed è tuto ſuadere. In confeſſione illa tua non pro te tantùm, ſed & pro tuis eiuſdem farinæ tribulibus confeſſus ſum; quædam tua ſunt, quædam aliorũ, omnia omnium, inter quæ ex grandiſſimis peccatum hoc eſt, Cæſaris litteras inſidijs capere, & legendo Maieſtatem Scribentis temerare. Milites nulli prædæ chartaceæ inhiant, crumenas potiùs veſtigant, viantium epiſtolas, non niſi cùm iubentur, explorant.

Non negant, ais, pag. 8. ***non diffitentur, qui primi exceperunt, & cum alijs communicarunt. Res nota eſt fere vulgo, ac publicè, Rectè, an ſecus factum, cùm tamen Fabius nihil, quàm ius Martis vbique inculcet, ego iam non diſputo.*** Sed qui

ſunt,

ſunt, mi Camerari, qui non negant? tu negas; ſi Pleſſium interrogem, & ille negabit; ſi alium & alius negabit. Si ipſi auctores non negant, cur tu non fateris, qui ſint? audent ipſi ſe nominare, & tu non audes? *Res nota fere vulgo, ac publicè*; cui vulgo? vulgo illi, quod facinus non ideo commiſit, vt alijs conſtaret; ſed tu hoc facinus in tuo tribunali iudicare detrectas, quia ſi diceres bonum factum, nouo te crimine onerares, ſi damnares, ſententiam contra te ferres: quanquam video, quo collinees. *Fabius*, ais, *vbique ius Martis inculcat*, quaſi hic quoque valere debeat. Neutiquam, mi vir; nam ius belli non permittit alias, quàm hoſtium litteras excipere, ſed apage Cæſarē vobis hoſtem fuiſſe, quare enim ego hoc faterer, cum vos non fateamini? Principem duntaxat de domo Auſtriaca oppugnaſtis, non Cæſarem; & cùm in epiſtolarum tergo ſignum, Aquilam, conſpexiſtis, arbitrati eſtis coruum eſſe, reueriturі aliàs magnam illius Iouis comitem, ſi agnita fuiſſet. Duas inter atras aues facilis eſt deceptio: plumas certè Camerarius non diſtinxit, qui in alijs quoque omnibus ſolus innocentiæ litauit, ſolus inter malos bonus fuit, nihil flagitij in mentem admiſit, nihil occultè architectatus, nihil palam auſus. Qua de re ei vitio verti non debet, ſi hunc in modum lituræ auctorem vehemētiùs inceſſat, *Qui eò impudentius*, inquit pag. 9. *mentitur, quod ſciat ad probanda falsò obiecta crimina cogi ſe non poſſe, & incognito accuſatore mihi*

defensionem difficiliorem fore. Prodeat, si vir bonus est, nomen suum verum edat, locum tutum sine fraude præstet, iudices æquos, non infensos det; epistolas meas integras sine dolo, documentáque producat authentica, si rite, si legitime mecum agere, siue accusare vult; sed sub inscriptione talionis, & legis Remmiæ iudicio. Fortassis non omnia, quæ mihi adscribunt, agnoscam; falsi, aut corruptelæ arguam; aut certe deprauatam per calumniam mentem meam ostendam. Tantum autem veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stilus, vt recte Tertullianus inquit. Hæc tu Camerari, quibus postulas, vt tibi dicam scribam, & in ius vocem apud Iudices tibi probatos. Haud valde sapienter, nec iuridicè; nam iube tu me in ius ambulare, si calumniam texui, & quidquam sparsi, quod aut tu, aut tui perpetratũ negatis. Ego iam te coram orbis theatro accusaui, coram hoc te purgabis, aut nusquam; demonstrabis autem primò te conscium rebellionis non fuisse, consilium non communicasse, operam nullam ad rem contulisse, sed exarsisse ad meditatum facinus, dissuasisse, obstitisse, intercessisse, nihil adiuuisse, pro virili impediuisse. Hæc si præstiteris, alacer, & causæ securus mitte accensum, qui me citet, & sistat Æaci sententiâ damnandum: quod nisi feceris, stabo inconcussus, & repetam, quæ scripsi, quia tu non desinis eadem facere.

Quòd

Quòd locum tutum flagitas, miror à me flagitare; pete à tua innocentia hanc gratiam; illa enim vbiquè locorum tuta eſt, ſuóſque cultores ſecuros præſtat, facileque æquos Iudices nanciſcitur, ſi æquitatem re ipſa metiaris, non ingenio tuo. Quos autem dicam ab o iudices poſtulas? Lutheranos? ambigo, quia qui verè Lutherani ſunt, cauſam Caluinianam damnant. Catholicos? Dij auerruncent! hoſtes dices, nihil boni ab ijs ſperare poſſumus, quibus nihil boni fecimus. Reſtat igitur, vt Caluiniſtam ſceptro ornem, & ſubſellijs imponam, fauebit reo, qui cauſæ fauit; ſed is mihi non placet, cauſam, quò melior fuerit, eò citius perdituro.

Aues autem & nomen meum audire, iam ſcripſi, & legiſti; nomen verum eſt, etſi tu non intelligas, verſatior in falſis. At tu vis nomen meum ita poni, vt perſonam noſcas; quid verò à me petis, quod aduerſarius non facit? Edidítne Conſiderationum auctor ſuum nomen? prior edat, & præeat exemplo; quod ſi laudabile fuerit, videbo aliquem à Caluiniſtis deſignatum tramitem, quem tandem ſequi poſſim. Epiſtolas tuas ſeu mutilas, ſeu, vt tu ais, integras nemo vnquam ſacro canone dignabitur, licet minimum ſit, quod ſcripſeris; maximum eſt quod pars rebellionis fueris, & quidem magna; addis autem cauſas, cur tuas litteras publicitùs oſtenſas velis; prima eſt, *fortaſſis non omnia agnoſcam, quæ mihi adſcribunt,* Parum audax es, Camerari; Nulla agnoſcam, quæ mihi

officere possunt, oportebat dicere Caluinistam, & potissimum iurisperitum, omniúmque forensium artium expertissimum; altera est; *Falsi, & corruptelæ arguam*; fortasse id poteris, non nostra culpa, sed tuo beneficio; nam cùm in epistolis tuis contra patriam, Cæsarémque multa scripseris, ius humanum, & naturæ corrupisti, & ita satis falsi, iniuriarum, corruptelarumque patefacies, sed ostendes tua. Tertia est, *deprauatam per calumniam tuam mentem ostendes*, credo, sed per calumniã, quam alijs struxisti, quia nos tibi nullam impegimus, quanquã tua mens etiam deprauata est sine vlla calumnia, alia quoque vitia illam obsident, & impiant. At ne omnia inficiando nimis peruicax habearis, aliquid detegis, sed more tuo parcè. *Quæ scripsi*, ais, pag. 9. *priuatim scripsi, ad collegas, ad eiusdem Consilij Assessores, sub secreti fiducia, ex aliorum plerumque relationibus, certè discursuum instar, vt inter familiares fieri solet, sine dolo citra inferendi iniuriam animum cuiquam mortalium, qui semper quàm longißimè à me absuit. Quod si quædam verbis asperiora videntur, & longius ire, ea sanè scripta nolim; ipse mea spongia, si possem, delere cuperem in æternum, agnita culpa, & venia, gratiáque petita ab ijs lubenti, demissóque animo, qui ex illis offensionem quamcunque concipere potuerunt.*

Nescis-

Nesciſſem, Camerari, te hominem tot linguis laceratum tam innoxium eſſe, niſi ipſe teſtareris. Ad quos priuatim ſcripſiſti? ad tui ſimiles, qui rurſus ad te priuatim ſcripsére, quod publicè ſuo tempore agerēt in Catholicorum perniciem. Improba omnia ſcripta ſunt, ſeu priuatim mittantur, ſeu publicè, quæ publicò peſtem machinantur. Diſcurſus, vt tecum loquar, ſanguinarios tibi habe; iam mihi ſatis eſt, quod cogites, & ſcribas te mihi interitum parare; nec gratiam mereris, quod quæ voluiſti non præſtiteris, ni Catholicus gladius hoſtile ferrum hebetaſſet, iam ſine capite ambularem; ambula tu ita in tuis diſcurſibus; neque dicas dolum, & obiectum facinus ab animo abfuiſſe; experti ſumus clades à vobis illatas; & tu has inferendas citra dolum, & iniuriam faciendam tractaſti, cùm ſcriberes, aut conſilium conferres? Sed audi, quæ eſt iſta tua pœnitentia? *Si quadam verbis aſperiora videntur, & longius ire, ea ſcripta nolim.* Apage deceptor; Doles patraſſe te, quod adhuc patras? Doles te rebellionis participem fuiſſe, & rebellionem vel veterem foues, vel nouam excitas? Quæ enim eſt iam omnis vita tua in Septentrione, & Occidente? quæ tua occupatio? nonne tubam, & tibiam adhuc hodie crepantibus buccis inflas, vt ab omni terrę plaga turbas aduerſus Imperatorem concias? Deleta omnia in æternum haud dubiè cupis, quia ſolem in hoc pudore tuo fulgentem ægrè ſuſtines; & tibi hic ſenſus eſt, ſi me interpretem rogas. Verba mea, ſcripta

mea æternis tenebris condantur, ne erubeſcam; facta autem ſcriptis deſignata in apertum erumpant; hæc orbem omnem perturbent, affligant, euertant. Si aliter, quàm tu, verba tua capio, & verè doles, fac, quod permittis, imo iam facere debuiſſes, culpam agnoſce, & veniam demiſſo pete animo, quia nos Catholicos offendiſti conſilijs, ſcriptis, verbis, factis; non negabis vnus, quæ omnes experti ſumus. Age ergo, linguam moue, veniam ora; nos noſtrum faciemus, quia quod ignoſcamus, habebimus.

Illi mihi grauius peccare videntur, inquis, pag. 10. *qui talia publicant, & in aliorum fraudem & iniuriam detorquent: adeò vt ipſi potius iſtius criminis reos ſe faciãt, cuius imprudenter, impudentérq; alios accuſant.* Scitè, & lepidè, mi Camerari; nos quia tua, tuorúmque ſcripta publicauimus, lethali nos ſcelere obſtrinximus, & tu cùm eadem exaraſti, ipſius Dei digitis vſus es, meruiſtíque palmam, non quam ferres, ſed quæ te ferret. Fas tibi ſit peſtem in occulto mihi ſupremam meditari, & mihi nefas ſit id eliminare, mundóque nuntiare, quod Mundo ipſe oſtenſurus es facto? Nullis argutijs veſtra ſcripta deprauauimus, ſed vos ea deprauaſtis maligna in nos mente; virus, & mors in illis noſtra eſt, vos inſeruiſtis, nos partum veſtrum appellamus ijs nominibus, quibus, vt ſic loquar, baptizaſtis. Et iam argutiæ te mordent delicatule? Catholicis ferreas cuſpides tu intendiſti viſceribus

ceribus condendas. Prudentiam, pudorémque, quando vtriusque nobis parum esse censes, tibi habe: quanta tua prudentia sit, & fuerit, funestus belli, quod cœpisti, exitus, quem prospicere & poteras, & debebas in tanta causæ malitia, indicio est. Vulnus vnum inflixisti, centena abstulisti; ita & ego sapio, cùm deliro. Amentiæ certè est nos legitimis de causis vestra publicantes reprehendere, cùm tu anno 1620. sub titulo (Model deß Kayserischen Hofsprocess, idea Cæsareanæ aulæ processuū) scripta Cæsaris, Electorum Moguntini, Saxonis, Comitis Zollerani vulgâris, adiectis acerbissimo calamo commentis, marginibúsque plus quam hostilibus, eo fine, vt Cæsari omne odium concires. Nihil dicam de Senatus Heidelbergensis (cui procul dubio interfuisti) consultatione, qua consultum arbitrabamini rei Caluinisticæ, si plures subinde sine nomine in Catholicos maledici, & mentiētes libelli spargerentur. Ex his non pauci formis Voegelij Heidelbergensis descripti, & post captam armis vrbem inuenti tanto exemplorum numero, vt sex, septemue vasti currus vix vehendis fuerint. Licuit itaque tibi, licuit tuis nos insontes infamibus scriptis lacerare; liceat & nobis illa vel confutare, vel sine illis vera dicere, Video autem te causam subnectere, cur imprudentiæ fuerit ferales chartas vestras in publicum emittere, quod quorundam insontium fama læsa sit. *Qui in munere Reip. versantur*, inquis, pag. 10. *qui negotia grauiora Principum iussu agunt*,

multa

multa sæpe dicere, aut scribere coguntur, scißis præsertim in contraria studijs; quæ non possunt æque placere omnibus. O acumen Camerari, quod vnicum te extra noxam sistit! scilicet. An tu putas fas esse iussu alicuius Principis Reip. perniciosa, quæque in euersionem publici vergunt, scribere, & agere? An tu obluctandum tibi censes, cùm Princeps hunc aut illum mandat confodi; & obsequendum putas, cùm te prouincias iugulare iubet, & scribere interitum regnorum? Iniustæ causæ nec auctor, nec adiutor esse potes, quocunque tandem fuco, aut Caluinistica cerussa faciem oblinas.

Pauci, ais, pag. 10. *erunt Consiliarij immunes ab hac labe, & periculo, si rupta fide, violato iure gentium, aut obortis inter partes inimicitijs cuncta in publicum inuidiosè disseminantur, quæ in amicorum sinum effusa Vulcano consecrata esse debuerant.* Laudabile solatium, mi Camerari, vel plures esse, vel suspectos reddi tui similes. Qui conscientiam in postremis habent, iuris ordinem violant, vt regnent, quod vos fecistis; & antequam faceretis, modos & machinas struxistis epistolis, & conuenticulorum scitis; hæc si digna Vulcano sunt, vos nõ debebatis scribere, imò nec cogitare; quid recta scripta cupis? si mala sunt, si pudenda sunt, quæ facta vestra designabant futura; qualia ipsa facta erunt, quæ Germaniam vniuersam concusserunt, & adhuc à vobis fiunt? Mittantur ista potius ad Vulcanum vnà cum aucto-

ribus; quanquam tu etiam ſine Vulcano ardes, & finito tandem loquaci proœmio in lituræ inſcriptionem arietas, in qua Excancellarius Bohemiæ nominaris, magnâ ſcilicet iniuriâ, quia plus tibi honoris attributum eſt, quam cum omni auctoritate tua, & dignitate ſuprà ætata capax ſis; ne deinceps errem; appellabo te rebellem.

Nunquam, ais, *amaui fumoſos titulos, nunquam ad dignitates, ad opes adſpiraui. Hoc ſciunt omnes, qui ingenium, & mores meos norunt, qui mecum in Reip. negotijs verſati ſunt. Hoc res ipſa loquitur, & confirmant mediocres facultates meæ acquiſitæ à parentibus, & conſeruatæ potius parſimonia, & induſtria mea, quàm auctæ liberalitate alienâ.*

Reluctantem, vt video, traxêre te Principes, & regna; extulêreque inuitum altius; narrationi huic tuæ accuratæ, & modeſtæ vnicum deeſt, teſtis nempe, Caluiniſtis in omni re neceſſarius. Sed quid ego teſtem exigo? ipſe tu mihi ſufficis, & alicubi indicas, quantopere auerſentur nares tuæ titulorum fumum, & diuitias ſpernat altior mens tua. Inter alia, quæ Domino tuo, cùm cupidus Bohemicæ coronæ, bellum aduerſus legitimum Regem pararet, téque hominem ad omnia verſatilem Cancellarium militiæ deſignaret, primo conditionum loco proponere auſus fuiſti, (quemadmodū Princeps Anhaltinus Palatino ſignificat) hoc inſigne modeſtiæ documentum. **Weil ich biſzhero/ inquis tu, bey allen Reichs. Churfürſtl: Wahl-V-**



nions, vnd anderen Tägen/vor allen der ChurPfaltz Räthe stettigs gebraucht worden/ daß ich auch gegen dem jetzigen Wahltag zue Franckfurth nit allein in den gewalt mit eingerucket/ sonder auch in die verzeichnuß der Personen/ so wol bey der Meintzischen/ als künfftiger ReichßCantzley gebracht/ vnnd also der getreulichen commendationen, so bey einer newen Wahl den Churfürstl: darzue gezogenen Räthen gebürhen/ neben anderen möge würgklich theilhafftig werden/ vnnd daß deßwegen Pfaltz den andern erscheinenden Räthen beuelch aufftrage/damit ich dißfals/da ich so vil/abnemmung an Gesundtheit/ vnd Nahrung außgestanden/ nit erst auff die letzt/ zu ruck gesetzt/ vnd leere außgehen möge.

Hæc tu mi Camerari conuenienter scilicet Apologię verbis, quia reuera fumosos titulos Calefactorum in aula nõ amas, sed amas titulos omnium splendidissimos, Electoralibus vicinos; vicariã nempe Septemuiratus dignitatẽ. Quippeni Camerari? Tu certè ille vir es, qui Dominum tuum in tot Procerum conuentibus antehac magnâ auctoritate præsentasti; & iam cùm Comitia Electorum celebrantur; cùm ipse Imperator eligitur, tibi honoris causa sub Conopæo sedere non liceat? & cùm Cæsar esse non velis, eligere saltem eum non possis? sane aliter labores tui tot annis impensi, aliter valetudo tot itineribus afflicta, aliter, vt publicæ saluæ essent rerum tuarum iacturæ meruerunt!

Opes, quæ tibi hæreditate patria venêre, quæso, quantæ fuêre, vt eas hic mediocres appelles? Inuentus est Heidelbergæ syllabus omnis gazæ tuæ, quam designasti ante aliquot annos, calamo tuo crumenæ leuissimi ponderis

deris

deris illacrumante; & numeras etiam dotem, & quidquid fortunula aliunde contulit, ſumma tamen non magna exit, nec poſitâ arcâ millibus tum ludebas, ſed aliquot centenis, curtâ admodum portione, quæ ſi interea loci duntaxat conſeruata eſt (quamquam ſcio hoc verum non eſſe, quia in quodam ſupplici libello Principi Ioanni porrecto nomina te feciſſe confirmas) & aliena liberalitate non aucta, nec mediocres tibi facultates fuêre. Audi teipſum Germanicè calculos verſantem.

Verzeichnuß/
Was ich von dem Meinigen Zöhrt/meinem Dienſt zugeſetzt/was ich ſchuldig/vnnd was ich dargegen erkaufft vnd ſonſt angelegt hab.

Item/825. fl. hab ich an parem Gelt hiecher vnd in die Ehe bracht/vermög inuentarij, vnd thailungs Zettel.

Item 651. fl. 16. alb. 7. pf. hat mein Haußfraw an parem Gelt mir zubracht/H. D. Grafens Lieferung.

Item 1000. fl. an einem Gülldtbrieff daran mein Haußfraw 500. goldgulden gehabt/haben wir jhrem Bruder D. Georg Friderich Paſtor verkaufft.

Item 1028. fl. 12. alb. an einem Gülldtbrieff/1000. fl. Batzen beſagend/ſo wir L. Eraſmo Burckhard allhie verkaufft.

Item 519. fl. 6. alb. an einem Gülldtbrieff/500. fl Batzen beſagend/haben wir der alten Fraw Ziglerin zu Speyr verkaufft.

Item 1500. fl. hab ich von der edition meines Vättern ſeligen Emblematum vber alle außgab zu gewinn bekommen/vermög der abrechnung mit dem Buchführer Bartl Voigt von Leipzig/vnd dem Vœgelino allhie.

Iſt alſo die Summa deſſen/ſo ich 11. Jahr hero eigenthumblich zugeſetzet 5534. fl. 8. alb. 7. pf.

So

So bin ich darneben noch auff dise Stund schuldig 2721. fl. 14. alb. vermög der besonderen designation hiebey.

Ist also zusam 8255. fl. 22. alb. 7. pf.

Hingegen hab ich erkaufft/vnd angelegt/

Item 336. fl. zu Zinblechhandel zu Amberg gelegt.

Item 2400. fl. an meim erkaufften Hauß allhie.

Item 1300. fl. an dem erkaufften Gütlein Neuenheim / so D. Esthij. seliger gewest.

Summa, 4036. fl.

Solche Summa von der obigen abgezogen / bleibt noch / so ich geschmelzt/vbrig 4210. fl. 22. alb. 7. pf.

Vnd ob ich wol in die 1000. fl. oder etwan drüber auß Wein lösen möchte/ so hab ich doch allberait vber die 500. fl in meinē Hauß zuuerbawen verdingt/ vnd wird mir das vbrig vnder der Hand auch druff gehen/ daß ich mir nichts daruon anzulegen getrawe.

Vnd hab ich diß alles allein darumb im höchsten vertrawen verzeichnet/ daß darauß zuspüren/ wie treulich ich bey meinem dienst das meinig mit dargesetzt/ welches ich aber ohn mein / vnd der Meinigen eisersten schaden vnnd verderben lenger nit zuthun vermag/ auch dessen in meim Hertzen wol versichert bin / daß Ch. F. meinem gnädigisten Herrn leid seyn würde/ da ich in ein solchen schaden/ vnd vnglück gerathen solte. Sign. 12. Febr. 1609.

Ludouicus Camerarius.

Verzeichnuß meiner Schulden.

Item 1000. fl. meim Vettern dem Aman zu Rockenhausen/ so er mir zu erkauffung meines Hauß gelihen.

Item 519. fl. 6. alb an 500. fl. Batzen hat er mir auch gelihen zu erkauff: deß Neuenheimer guts.

Item 207. fl. 18. alb. hab ich auch bey jhme/ wegen D. Esthij seeligen Erben auff mich genommen.

Item

Item 100. fl. bin ich der Vniuersitet allhie schuldig.

Item 155. fl. 20. alb. dem Herrn Cammermeister allhie.

Item 103. fl. 22. alb. an 100. fl. Batzen dem Wahlen allhie.

Item 70. fl. an ein Reiß receß dem CammerM.

Item 225. fl. bin ich vnderschidlichen Krämern/vnd Handwercksleuten jetzt kommende Franckf. Meß zuzahlen schuldig.

Item 340 fl. Secretario Alberto Rieden/vnd seiner Haußfrawen an Receß/oder Reß für das Neuenheim Gütlein.

Summa der Schulden 2721. fl. 14. alb.

Atque hæc opulentia tua tota est, vt falsi tua manu conuincaris, adeò enim res tuæ parsimoniâ & industriâ conseruatæ non sunt, vt profusas eas quiriteris; & in omni ærario tuo cùm annum ageremus 1609. superfuêre duntaxat flor. 4219. quæ pecunia reditus Romani Equitis, aut etiam Franconis in quorum ordinem tu adspiras, nõdum adæquat. Sed fortasse paucis iam annis post mitræ insignia capiti tuo imposita, ex sacra pecunia rem tuam fecisti. Scis quid dicam? inconcessum legibus officium ambiuisti, multáque curâ anno 1613. 6. Martij tandem obtinuisti, vt Reichenbachij Prępositus, seu Abbas fieres nouâ metamorphosi. Quæ enim antiquitas profanum, & gladiatum vidit Abbatem cum Abbatissa, abbatulis, & abbatissulis in indusiolis, & prophanis cuculliculis, vnis in ædibus matutinas preces iuxta cunas decantare? Et ne quis dicat te procurationem tantùm eius Monasterij suscepisse, vt vnà & tibi, quod mediocritatem tuam solaretur, procurares, scire debet Palatinum Ioannem Friderici

tutorem disertè in diplomate super ea re suo, Camerario Prælaturam expresso nomine conferre, atque etiam honoratæ sedis locum inter ordines prouinciæ, tanquam legitimo Præposito designare. Atque hinc fortasse incrementa Camerarianę potentię, vt in aperto sit, quam verum dicas te nunquam ad opes adspirasse; sicut indicio quoque sunt quatuor reliquæ conditiones tuæ militares, quæ ita se habent.

Weil ich die Kriegßsachen/acta, vnd gleichsamb die Cantzley vnder handen heben/ vnd dirigirn, auch Pfaltz/ vnd dem Läger jederzeit folgen solle vnd also meine charge gleich angehen wird/ ich auch den maisten Anlauff/ Vnruhe/ Sorg/ vnd Mühe haben werde/ daß ich deßwegen nit deterioris conditionis seye/ als der geringsten officirer einer/ der gleich seine besoldung empfehet/ dann ich dergleichen Monatlich extraordinari recompens vnd vnderhalt wol verdienen werde/ vnd doch darneben ausser disen Kriegß/ vnd gemeinen Vnionssachen Pfaltz zugleich in andern täglich vorfallenden Geschefften meine schuldigkeit werde leisten müssen/ darzuich auch ohn deß obligirt, vnd billich bin.

2. Weil ich meiner getrewen geleisten dienst halben bey den Papisten sehr verhaßt/ vnd gleichwol von geistlichen Fürsten Lehen hab/ deß ich nit wenig als etwan andere Oberste/ vnd Beuelchßhaber in acht genommen vnd vff den fall der restitution versichert werden möchte.

3. Deß in fall (da GOtt vor sey) die gefahr sich gegen Haidelberg wenden solte/ ich gleichwol so vil zeit/ vnd gelegenheit erlangen möchte/ mein Weib/ Kinder/ vnd geringe Nahrung auch zuersetzen vnd dieselbe nit allerdings zuuerlassen. Daß Pfaltz zeitlich auff andere Räth bedacht sey/ welche mich bey anderen Tagferten vnnd vorstehenden Legationibus entheben mögen/ dann mir vnmüglich in die länge also zu continuiren, wie ich ein zeithero in 2. oder 3. Jahren

Jahren mehr/als zuvor jemals da ich noch jünger/vnd stärcker gewest/habe thun müssen.

Hactenus Camerarius, qui cùm supra de sua abstinentia concionaretur, eò prope me adduxerat, vt crederem nulla diuitiarum cupidine tangi tam sanctum in terra hominem. At verò hæ conditiones longè aliam mentem mihi detegunt, sordésq; cupidini vastæ innatas ostendunt, primò enim Camerarius stipendia extra ordinem properata expetit, & stipendia quidem immodica, sibi quadringentos per mensem aureos; sex equis, quantum totidem equitibus penditur, quemadmodum infra discemus ex ipsius epistola. 2. Feuda ab Ecclesiasticis Principibus concessa, causę ac conscientię metuens adiuranda aliorum ope securitati asserit. 3. Suorum, & recularum suarum cauet saluti, imò etiam vitæ suæ, quando exemptum tot onerosis se munijs postulat; ita enim hactenus in aula laborauit, vt fessus sit; ita honores capessiuit, vt alacer ad nouos pergat, ita diuitias, corruptelis inimicus, contempsit, vt iá quærat alienas, militię enim imposuisset sex famulos equis, vt arma caperent, ipse pecuniam. Macte animo pecuniose miles, qui ad opes non quidem adspiras, sed eas ad te cogis cum omni nummorum abstinentia tua, quam teste DEO sacrosanctam in Bohemia, & Morauia (de Silesia, vbi Vicecancellarius fuisti, fortasse aliud Lectorem sentire vis, quod subticeas) affirmas; nec abnuo multum, nam mercedis, aut honorarij nomine multa aliàs manum auidam subeunt, quid odioso mune-

rum

rum nomine indigetares; quod interdum obtruditur amabili violentia? In domum illam Pragenſem, quam tibi quidam, vt ais, donatam ſcripſit, præter inhabitandi ius tibi nullum à quoquam tributum eſſe ſine teſte tibi credo, nam alterius fuit, cùm tu eam poſſideres, & hodie, ſi tua fuiſſet, alterius eſſet; hoc enim lucelli obtinuiſtis quærendo lucrum, vt nec aliena veſtra ſint, nec veſtra. Diligentiam in officio Vicecancellariatus Sileſiani ſpectatam, cùm ipſe laudes, ego quoque non inficior, quòd eo munere tum functus ſis, quando Sileſij in Dominum ſuũm arma ſumpſerunt. Quis dubitet te hic gnauum fuiſſe conſilijs, & vaferrimi calami operâ, vt factio illa caleret, & Cæſar prouincijs ſpoliaretur? *Heidelbergenſis*, inquis, pag. 11. *Ex Conſiliarius quomodo appeller, neſcio, qui non illi ciuitati, ſed Electoribus Palatinis à conſilijs fui*; ita eſt, mi Camerari, à conſilijs fuiſti, ſcit id totus orbis & ingemiſcit, quia tua conſilia ſenſit. Quid hic ægrè tibi eſt? Si Princeps tuus Heidelbergenſis Princeps fuit, cur tu nomen Conſiliarij Heidelbergenſis auerſaris? Specioſiora fortaſſe ſemper adamas, & quæ dignitates tuas, ad quas tamen non adſpiras, deceant. *Ego verò* inquis, *ſalua fide, ac conſcientia (onus Conſiliarij) abijcere, & Principem meum aduerſa fortrna preſſum deſerere non debui, ne coorta tempeſtate turpiter exſilire viderer ex naui, in quam ſereno cœlo aſcenderã.*

Quòd

Quòd fugeris, Camerari, nemo te conuitijs incessit, quia metus impellebat, sed tamen si fuga placuit, fugere debebas, antequam in facinus consentires, & cum Domino tuo Bohemiam intrares. Fugere ne quid mali patres, laudis est; fugere, quod patrâris, vitij est.

Ab inscriptione ad epistolam pergis sub tuo nomine fictam, quam, quia te laceratum illâ putas, immaniter laceras, ac si omnia aliter se haberent, quàm quæ ibi denarrantur. Si ita est, Camerari, noli tibi crines vellere, aut vnguibus genas sulcare, sed cogita potius confessionem illam, si vera non est, Caluinisticam esse, nam vos verè nunquam confitemini. Cur scriptor aliter rem explicet, quàm vos agatis? Videamus tamen quid potissimùm in eaallatres. Primum est, quòd fortunę tuę aduersæ superbius insultem, & te, tuúmque Principem perditum cupiam. Non insulto, Camerari, stratis & afflictis; sed stratis & adhuc spirantibus minas, minantibus nouas pestes. Quid me ex hoste amicum, ex irato placatum, ex seuero misericordem flagitas, cùm tu in hostilitate, in truculentia, in sæuitia perpetuare nefas perseueres? Vt misereri tui Cæsar possit, miserum te monstra; pœnitet te cœpti? ede signa, promitte saniora; & capesse; nos quoque mollescere senties, neque enim triplex nobis æs animos vallat; aut in nostro templo Busiridis aræ sanguine fumant. Vos Caluinistæ hæc sacra colitis, & vbi vbi libera potestas est, cruore aspergitis Europam, Reuoca in mentē Hugonotarum per

E Gallias

Gallias furorem in Catholicos effusum; reminiſcere Geuſianiæ inſaniæ in corpora Catholica graſſantis, heu! quàm multa examina, quàm multos exercitus inermium, & innocentiſſimorum hominum crudeliter trucidâſtis?

Nulli ſua profuit ætas,
Non ſexus potuit ſceleratum euadere ferrum.

Et tu neſcio quod ſuperbius nobis obijcies ſupercilium, aut etiam ſanguinariam mihi crudelitatem? Hâc ipsâ hora, mi Camerari, vt ſcias, quàm mihi tyrannica mens ſit, te cupio ſaluum, ſi modò ſaluam Rempublicam tu velis, damnatáq; rebellione hoſtilitatem erga Cæſarem exuas. Iniuriam autem mihi irrogas, cùm refers, *quod vno ictu, te, tuúmque Herum ſublatum velim*. Loco illo, quem tu tantopere exagitas, quæſtio mihi ad te hęc fuit. Quis euentus manſiſſet Dominum tuũ alicubi deprehenſum, ſi libuiſſet nobis imitari triſte exemplum veſtrum, quo in Anglia Palatinæ veſtræ auia innocens fœminam ſpeciem duntaxat capite luit: quo genere argumenti magnitudinem facinoris veſtri deſcribere volui; non parem facinori pœnam, neque enim ſcripſi faciendum id Cęſari, aut eum facturum, præſertim cùm omni irâ & indignatione potior ſit apud eum aduerſus quoſcunque clementia, quod nec tu neſcis, ſcribis enim pag. 12. eius clementiam illos recepiſſe, qui ferrum contra ſe in acie, & conflictibus ſtrinxerant. Opportunus ſermo, & ob quem tibi gratias debeam, mi Camerari: Illi ipſi, quibus vitæ fortunarúmque

gratia facta, vestri milites fuêre; si ergo contra Cæsarem, vti tu hic fateris, ferrum in acie strinxerunt, & tu strinxisti; imò consilijs tuis in Cęsarem bellum impium concitâsti, & adhuc hodie perpetuas, vt agnoscas quàm innocens sis, & miseratione dignus, cùm miserationem imploras. Neque Bauariæ Elector funesto, vt rectè sentis, proscenio delectatur, alterius à vobis mentis, & ad meliora pronæ, quęque adeo tyrannica facta horreat, vt duriora, diriorâque verba damnet; certè cùm fortè venissent libelli quidam in manus eius; vni, alteriúe scriptori, quòd lasciuiore, & modestiæ nostræ insolentiore calamo vos, licet extremè meritos, figerent, non leuiter succensuit. Cęterum Principibus ardua rerum tractare negotiũ est, libros nec pangunt, nec censent; suo quisq; genio scribit, qui scribit; non nemo subinde prudentiæ metas excurrit, quod nec aduersariorum facinora limitem habeant. Sed concedatur aliquid etiam scriptoribus aduersus malignos & irritantes hostes, quod strenuis militibus per omnes gentes sanctum est: Remissam, ac parum audacem in pugna manum nemo laudat, laudant omnes acrem, & in aduersas acies fulminantem. Ita vibretur & calamus, vt infestus inimicus sentiat se perperam lacessiuisse. Verùm enim verò ne serio immaniores videamur, vestra consilia in iudicium vocemus. Nefas est nobis vincula, pœnásque grauiores rebellioni legibus decretas innoxio digito ostendere, non vt habeatis, sed vt dispiciatis facinoris vestri pondus; &

eximium vobis decus putatis de Cæsare capiendo, & nescio, in quas terras deportando consultare? Tu Camerari, non ignoras, ex qua pharetra impium hoc telum productum? Sed maius opus moueo, refero, quæ comperta habeo, monstraturus vbi opus erit. Florente adhuc potentiæ Vræ. fastu, cùm certum fortunæ fauorem, & victorias immani spe mancipassetis, nostræ religionis Principes, nō nemo ex vobis (vtique multis suffragantibus) in classes tribuit, vt pars in æterna vincula conijceretur, pars gladio Victorum occumberet. Hæc Camerari vos animis vestris voluistis, facturi haud dubiè eodem studio, quo consultâstis.

Demum quo arma vestra vniuersa aliò spectabant, nisi in interitum Catholicorum in Imperio omnium? Audes tu mihi ferro ipso ostentare, quid in me admissurus sis, & non audeo ego solis verbis tibi patefacere, quid motuum horum auctores meruissent, si sæuitia placeret? Non placet nobis sæuitia; & quia nimis molles videmur, etiam verba imperare conaris. Sed Caluinistæ mihi Imperatores nulli sunt, nec illi me audiunt, etiam cùm humaniter inuito, vt Camerarium ad nostram religionem, & Romam alicubi inuitaui. *Nempe*, ait Camerarius, *vt fiam infamis flammæ cinis (sic de Ioanne Husso fideli Christi Martyre Fabius loquitur) aut longa morte moriar.* Nequaquam Camerari, ad tripudia te ducam animi tui, ad veram Christi sponsam Ecclesiam;

procul

procul rogus, procul ignis omnis esto, sed tibi obediendum erit, & maiorum sententijs cedendum, neque adhęrescendum nouitijs, & heri natis Doctoribus, verùm doctæ & venerandæ antiquitati, qui primis præceptoribus propiores fuêre discipuli. Nos iuuenes nobis sapientes videmur, prisci fuêre. *Non noui aliam* inquis pag 16. *religionem, quam Christum crucifixum. Hic sua morte mihi acquisiuit vitam. In hac spe viuo, in hac moriar.* Nesciebam Camerari tam breue vobis esse fidei symbolum; sed age, si tota tibi religio, quia aliam nõ nosti, *Christus crucifixus est*, vos in vestris Ecclesijs nullam religionem habetis, qui Crucifixum vbique exterminâstis, imò in religosissimo Pragensis arcis sacello sacrilegâ manu lacerando comminuistis, quod nec Hussus fecit, quem fidelem Christi Martyrem vocas, ac si tuę religionis fuisset. Sed heus tu Camerari quid me pag. 16. irrisorem tuę pietatis compellas? ais enim *Mirum non esse, si in rebus agendis sollicitudinem tuam ac pia ad Deum vota, vt recta, ac salutaria consilia suppeditaret, peruertã?* Quid peruerti mi homo? quid irrisi? pia tua vota? nunquam illa risi, aut peruerti, quia tu talia nunquam fudisti. Vota quidem tua, laboresque improbos contempsi, sed nihil pij, quia nihil inueni. Audi, piáne vota sunt, Domino tuo vouere alienum regnum, vouere ob id cruentum bellum, vouere patrię cladem, & cædem tot inno-

centum, & per vota exquirere consilium à Deo, vt talia fiant? non cupio te tam pium mi Christiane, quàm Zelo tali flagrantem, malo prophanum.

Malè hoc afficit stomachum tuum, quòd bella & seditiones tuę religionis fructum esse dixerim, tanquam in omnes superos iniuriosus, famam Caluinisticam denigrassem, quæ nunquam albuit. Vide mihi Caluinismi incunabula! quàm primùm in pedes se partus hic erexit in Galliæ vicinia, totã Galliam concussit, ipsi Regi formidabilis. In Belgio vix adoleuit, & rebellionem mouit tot annis pertinacem. In Germaniâ nocendi animus non defuit, oppurtunitas expectabatur, quâ tandem datâ in intolerabilem vesaniam erupit. Veni & computa mihi bella, quæ seculum nostrum aut illustre aut infame fecêre. Ecquod nos Catholici primi mouimus? non rusticum; scis, qui tubicines fuerint; non Schmalcaldicum, scis, qui concitarint; non Gottanum, non Magdeburgicum, scis auctores: Non Coloniense; ad hoc classicum cecinit nupturiens Apostata; vos consilia ministrastis & arma, Duce Casimiro. Non geminum Strasburgense, iuuistis & vos; non Botscaianum, ab Heidelberga accinuit tuba; non Gaboricum, alioqui frustra Plessius ad Dacos Legatus abijsset; non denique Bohemicum, quia hoc totum vestrę industrię est. Nega, si fecisti, ait ille.

Expeditâ epistolâ, in qua sicut totâ suâ Apologiâ vt breuis esset, multa pręterit, & contemnit Camerarius, vnũ

vt

vt transmittat, sibi imperare non potest. *Hoc tamen,* ait pag. 16. *concoquere non potui, nec debui ex pietate in maiorum vmbras, quod V. CL. auum meum Ioachimum Camerarium piæ memoriæ, quem magnum præcipui quique ex litteratis appellare solent, Prædicantem, & me Prædicantis nepotem facit.* Placidè, mi Camerari, in Litura pag. 36. scripsi; *Auum tuum Prædicantem fuisse puto*, quæ tu verba, nisi nimiùm ambitiosus esses, longè aliter acciperes, ac facis; quid censes? éstne idem, puto Camerarium esse diuitem, & Camerarium facio diuitem? Nihil affirmaui, & si fecissem, capitale non foret, nam primò mihi non constabat te rectâ serie ab Ioachimo propagatum, cùm ex vno trunco plures plerumque stolones prorumpant. Dein etsi Ioachimum illum litteratorem Prædicantem appellassem, sine conuitio appellassem. Nam nonnulli Professorum non in scholis solum apud vos, sed subinde etiam in ambonibus, vt in re ecclesiasticâ Ecclesiasticè loquar, audiuntur ad populum vulgari lingua declamantes nulla ordinis irreuerentia; vtrobique profani: quia Ministrum verbi esse laudi ducis, intereáque tamen nomen Prædicantis detestaris, frustra es: liceat mihi, vt volo, loqui, qui prædicat, prædicans est, sicut qui docet, docens est, cuiuscunque tandem conditionis homo sit; nesciebam multos apud vos Principes & viros illustres hoc munere functos,

aliàs

aliàs passim prædicantes vestri Hecatē lacernâ stipis frustilla gestantem aut auiam, aut matrem salutant. *Verùm auus meus*, inquis pag. 16. *nunquam talis Ecclesiæ Minister fuit, nunquam Germanicas conciones ad populum, eruditas verò multas in Principum laudes latinè, aut de alijs rebus grauioribus habuit, quarum plurimæ olim in lucem venerunt, multæ cum alijs eiusdem operibus, vt breui edantur, daturus sum, iuuante Deo, operam.* Quæso Camerari cùm honorificum putes comcioni Euangelium populari linguâ nuntiare, quòd tantopere abnuas auum tuum Prædicantem fuisse, præsertim cùm ego id disertè non dixerim; est haud dubiè quid, cuius te in hac appellatione pudeat; est, neque miror, nam & me puderet eiuscemodi cognationis; delere omnino illos, gloriæ accrescet tuæ, quidquid illis necessitudinis substraxeris. Auum tuum virum doctum fuisse non nescio; nomen eius mihi notū erat, antequam tuum ob virtutes increbescet; panegyricum ei Apollo nondum dixit; ob latinę, Græcęq; linguę notitiam, haud vulgarem laudem meruit, ita tamen vt alijs omnibus palmam non eripuerit. Vixit eo æuo, quo etiam inter Cæcos Vnoculus Rex esse potuit, & hinc eius nomen maius, quod aliorum minus fuerit: succedentibus annis alia ingenia successêre, qui auum tuum in campo litterarij certaminis magna gloria debellârunt. Quocirca operæ precium non arbitror bonas vti tu horas malè perdas, & ve-

tustas

tuſtas aui tui chartas prælo fatiges; quieſcant in puluere, maiorem famam obtinebunt, ſi non affectent. *Illuſtris vir*, ais pag. 17. *Iacobus Thuanus, hiſtoricorum noſtro ſæculo coryphæus, præter inſignes eius virtutes, & animi, corporíſque dotes etiam generis nobilitatem prædicat. Et certè familia noſtra Papeberga in Franconia, & in ſidere illo Germaniæ, Norica vrbe, vltra CCCC. annos inter primarias, patritiáſque floruit, vt illius me pudere minimè poſſit aut debeat.* Egregiam verò nobilitatem tuam ſuſpiciam, præcone eius homine Gallo, qui Gallicas familias rectius diiudicet, quàm Germanicas, præſertim Camerarianas, haud multò notiores Thuano, quàm hodie ſint Saturni in Creta poſteri. Franconem mihi adduce, qui nobilitatem tuam Franconicam deprædicet, magnóq; teſtimonio vinces, quia nobilitas Franconica imparẽ nec fert, nec effert. Ego ſponte mea, vt quid pro te gratificari poſſem, ſollerter operam dedi, vt domus tuæ tam illuſtris fundamenta veſtigarem, aliíſque, qui adhuc tam ſplendida ignorarent, ſpectanda proponerem. Et primò quidem explorata mihi Norimberga, in qua ab annis trecentis nullum inuenio aut nobilem, aut patricium Camerariũ. Familia quidem Camermeiſterorum recenſetur, ſed neſcio an tuæ propaginis, expectabo confeſſionem illorum. Quamquam erit fortaſſe, qui patriciatus tui indicia deprehendet, qui meminerit

Auum tuum in illa vrbe, illiciente centum aureorum ſtipendio, conſulatum, dignum tanta nobilitate veſtrâ munus, inter pueros gerendum in ſchola triuiali petîſſe, nec ſtatim obtinuiſſe, Philippo Melanchtone, Eobano Heſſo, & Sigiſmundo Gelenio accuratius patrocinãte. Quod genus neglecti officij iniuriam ſuam ratus Ioachimus auus tuus datis ad Chilianum familiarem ſuum litteris amarulento animo queritur, Philippíque maleuolentiam multis vellicat. Id ego diſco ex epiſtola Philippi ad auum tuum hoc de genere ſcripta, quam ego libentius ſubnectam, vt Philippi ſtudium appareat in narrandâ nobilitate aui tui, quem etiam, ſi Norimberga ſuum patricium in hac functione auerſaretur, in literarium, qui eſt Lignitij in Sileſia, ludum aditum patefacere voluerit. Ita habet.

Salutem
IOACHIMO CAMERARIO
BAMBERGENSI amico ſuo ſummo.

CHILIANVS noſter amanter fecit, quod literas mihi tuas, in quibus fidem meam acerbiſſimè accuſas, miſit, vt meam apud te innocentiam, meúmq; de te iudicium, ac animi inductionem tibi exponerem. Nam eruditionem mihi, & prudentiam facilè detrahi patiar, fidem in diſcrimen venire id verò me valde cruciat. Fuerat autem amicitiæ noſtræ prius quam me apud alios traduceres, mecum

mecum expostulare, si quid alienius audisses, nec temerè quicquam de amico iniquius credere. Nunc me non apud vnum Chilianum conscindis eiusmodi literis, vt nihil in Socerum credam inimicitius Archilochum scripsisse. Cupio itaque te mihi purgatum, & amicitiam, quæ inter nos diu fuit, sarcire. Hoc primum quidem sanctè iurare possum, si quid modò iuranti credis, me ex quo tecum amicitiam iunxi, semper amasse in te probitatem, & studium literarum, in quibus te versari magna cum diligentia videbam. Eam erga te voluntatem meam, ita me Deus amet, mutaui nunquam. Neque vnquam de te aliter loqui memini, atque de amico. Certè Noribergę apud Dominicũ & alios sæpè honorificam tui mentionem feci. De tuis poculis nullum verbum vnquam in serijs sermonibus apud amicos familiarissimos, aut alios dictum. Nam tum illum tuum morem excusari, tum mutari posse sciebam. Deinde cur læderem te, à quo me amari certum habebam, & qui mihi vicissim carus eras. Aut quam vtilitatem, quos reditus ex tua ignominia captarem? Nec ego sum, si me rectè noui, tam peruersè malus, vt gratis iuuet lædere hominem de me bene sentientem. Semper etiam tibi consulere, téque iuuare mihi curæ fuit. Sed tu neque inter tres illos, quos ego Senatui Noribergensi commendaui, locum ambisti, neque consilium profectionis tuę versus Noribergam interroganti etiam satis declarasti. Et vides quam paucis ibi locus fuerit. Ego verò quos

commendem Noricis alieno magis, quàm meo iudicio probari illis volui. Neque quidquam videri debeo ea in re, priuatæ amicitiæ, quæ mihi cum illis est, caussa fecisse, cùm nihil in te ipsi ambirent, & delatam prouinciam priuatim susciperent, in alijs locis amplissimas conditiones haberent, & domi suæ in ocio honestè viuere possent. Quare si vidissem, qua ratione tibi etiam prospici posset, profectò non fuissem tibi defuturus. Sed tu longè erras, si me plus tibi aut posse, aut mihi sumere debere existimas, quàm apud exteros hospitem decet. Verùm non hoc quereris te non esse adiutum à me, sed plane proditum, ac læsum. Id summa conscientiæ fiducia pernego. Semper enim eruditionem, & probitatem tuam prædicaui. Neq; vnquam dixi quicquam, quòd existimationem tuam minueret. Nam sic hodie etiam adfectus sum, vt si necessaria suo tempore postules, non dubitem de meis etiam fortunulis tibi suppeditare, tantum abest, vt aliorum voluntates abs te abalienare vnquam studuerim. Tu cùm fidem mihi detrahis, non relinquis mihi, vt te per vllum Numen rogare possim. Si tamen adhuc me putas non omnium qui viuunt desperatissimum, rogo te per Christum, vt opinionem de me falso conceptam ex animo deponas, méque sentias tibi ex animo amicum esse, & cupere, si qua in re possim beneuolentiam erga te meam tibi declarare. Non enim si meæ voluntati fortuna hactenus defuit, ideo fides in dubium mea vocanda est. De Car-

mine

Carmine ad Carolum quòd scribis, inuidiam vitandam tibi esse duxi. Nam ego meo malo sum expertus, quantum periculi sit, in his turbis hoc genus libellos edere. Illa tibi libenter condono, quæ odiosissimè congeris, nihil me præter mea amare, nullos mirari præter nostros συμφοιτητὰς Tametsi non concedo tibi, vt animi mei sensum propius noris, quàm ego. Non sum tam truncus, quin videam, quantum mihi desit, & non modo huius scholę homines eruditos, sed literatos alijs plerisque locis in Germania, quibuscum est noticia, colo. In Silesijs integra res est. Nam Princeps Silesiæ à meo ex Noricis reditu huc scripsit, vt sub Autumnum Ligniciam Professores conuenirent, tibi nemo adhuc subrogatus est. Itaque si illo commigrare libet, locus tibi patet. Eaque de re vt mihi scribas cupio. Sed vt finiam tandem, si abs te impetro, vt mihi fidem habeas adfirmanti, amicitiam nostram religiosè me coluisse, téque impensè amare, magno me beneficio auctum abs te esse, existimabo. Sin autem non impetro, ferenda est scilicet insignis iniuria, qua me adficis, dum tales epistolas in Germaniam spargis. Verùm ego de ingenij tui candore mihi promitto futurum, vt hæ literæ meæ plus apud te ponderis, quàm maleuolorum sermones habeãt. Vale feliciter. Mense Augusto. Anno M. D. XXVI.

Philippus Melanchton.

Habes hîc primordia magnitudinis tuæ in vrbe No-

rimbergensi: Bamberga, natale solum vix ciuium suorum memoriam retinet, nobilitatis ignara, paupertatis aui tui certa; ille à patre dissidens alienâ ope ob bonas litteras adiutus, familiæ nec magnas diuitias parauit, nec filijs reliquit. Paulò pecuniosior pater tuus, sed ditior libris quos hæres, lucri partem pactus cum bibliopola, vt magnificentia tua quingentis supra mille florenis augesceret, vendidisti.

Auus meus inquis pag. 17. *literarum semper otium functionibus in Republica grauioribus prætulit, vsi tamen eius consilijs fuerant sæpius ipsi sacratissimi Imperatores Ferdinandus primus, & Maximilianus II. Fridericus pius Palatinus Elector, Mauritius & Augustus Saxoniæ Duces Septemuiri.* Ventosa verba, & Camerario digna, quid consilij à Ioachimo experiuissent Imperatores? nec Theologus, nec Iurisperitus fuit: in Cicerone & Demosthene, in Liuio & Herodoto consenuit. Quid dubij proponerent Imperatores Rhetori? quid Historico Duces? Hæsêre fortasse aliquando in abstrusiore Taciti dictione aut in tornato Thucididis sermone? aliquid hîc valuit Camerarius, etiam ad Grammaticæ quæstiones expeditus. Sed fortasse naturali consilij facultate valuit, vt quæ peculiari cura non didicisset, sciret tamen? vix & hoc persuadebis, præsertim cùm pocula deperierit, & quantumuis excellens iu-

dicium

dicium nimio ſucco diluerit. Pergamus. *Dedit illi*, ais pag. 18. *laudatiſſimus ille Imperator* (Maximilianus) *ſimul ſingulare priuilegium in ampliſſima forma Viennæ die 2. Octob. Anno 1568. quo ipſum, familiam eius, poſteros, clientes, & ſubditos exemit ab omni extraneo, maximè Rotvvilenſi iudicio, & immediatè ſub Romanorum Imperatorum tutelam, & iuris dictionem cunctos recepit, etiam in bonis feudalibus*. Laudo munificentiam prudentiſſimi Imperatoris, qui litteris conſultum iuit, cùm viros doctos tantis priuilegijs ornauit;

Sint Manecates, non deerunt, Flacce, Marones;

His honorum illecebris ad ſtudia ineſcamur. Hæreo tamen in hoc priuilegio, verborũ non ſatis gnarus. Scribis enim non auum tuum duntaxat Cęſareo beneficio exemptũ fuiſſe, *ſed etiam eius clientes & ſubditos*, Qui fuerunt *hi clientes? qui ſubditi*? an Iuuentus ſcholaſtica? quaſi verò hanc ſcholaſtico tribunali eximeret? & ſe puerorũ Prętorem conſtitueret Cæſar? nulli alij clientes auo tuo fuère, ſed is ipſus in aliorũ clientela vixit, & ſuprà Philippus etiam de ſuis fortunulis illi ſuppeditaturum ſe pollicitus fuit; Dices Cæſarem, quia ingens ſpes erat familiæ amplificandæ, exemiſſe futuros clientes, quos nec adhuc tu habes, nec filij tui facilè habituri ſunt, quòd iacturam bonorum tuorum feceris, flagitio rebellionis ſponte

com-

commisso, malus pater, malè filijs consulit.

Pergis tu, pag. 18. *Haud scio, an frequens sit in Germania, vt Prædicantes, quos ita per contumeliã Hercynianus vocat, multa eiusmodi ab Imperatoribus priuilegia, imo feudalia bona ex pacto, & prouidentia maiorum habeãt, vt Dei gratia & Principũ beneficio gens Camerariorum iam per aliquot sæcula possedit in Franconia.* Quàm tibi mens alta sit, ignoro Camerari, arroganti atramento calamum tuum tingis & de tua familia loqueris, atque si magnificentiam Assueri describeres. Si aliquot sæculis possedistis tam ditia beneficia, aut vt me intelligas, feuda, cur ergo auus tuus mucidum panem comedit. Certè rem eius primis annis, etsi tu eam satis lautam dicas, in arcto fuisse testantur epistolæ Philippi ad eum scriptæ, & manifesto indicio est, genus vitæ in triuialibus scholis actæ exiguo cum stipendio, sanè in pari cum Salomonio splendore non vixit. Quid est autem hoc, Camerari, quod ego contumeliosus dicar, quando Prædicantes vestros appello Prædicantes? Lutherani ita suos nominant, ita suos Caluinistæ; quid à me exigitur, vt eos honorificentius compellem? Si contemptum nomen est, & res est, quam factitant, & propter quam nomen sortiti sunt, qui enim apud Caluinistas prędicant, prædicantes sunt; & si ignominiosum est, prædicantem vocitari, ignominiosius est prædicantem agere,

quòd

quòd ego pridem arbitratus sum, nec adhuc mentē muto.

Tanti viri Manes, (pergit Camerarius in panegyri paterna pag. 18.) *impius Hercynianus Hyænæ instar turbare non est veritus, cùm per contemptum & ludibrium eum Prædicantem, posteros eius Prædicantis nepotes facit.* Dum auum tuum tam sublimem fers Camerari, sermonem præbes vulgo laudes has omnes eleuandi, quia præco domesticus es, & auum tuum Magnum prædicas, vt ipse Magnus Nepos habearis. Vtrumque iam nouimus; ille Lutheranus fuit, tu sapientior patre, Lutheri religionem tanquam generosiore, aut versutiore indole indignam exosus ad castra Caluini transîsti, nisi fortasse te pater tuus tanquam paruulum Astianacta traxerit præeunte ad Sacramentarios Philippo. Manes aui tui quiescentis si Prædicantis nomine turbo, haud dubiè execrabile nomen erit, quod etiam vmbras infestat, & ipsis sepulchris seditiosum est. *Quod si*, ais pag. ead. *ad Romanensium morem respexit, quo sacerdotibus liberos ex concubinis tollere licet, eo atrocior est in me Fabij iniuria. Nos enim in nostris Ecclesiis illam consuetudinem non habemus.* Nescio quid tibi tua memoria refricet, an tu ipse de tuo, patrísque tui natali dubitas, vt suspicionem moueas, quam ego non alui? Rectè & honestè hoc in genere de vobis sentio, quia omnes auidè nupturitis ante tempus, & nisi vxor præoccuparet, to-

rum concubina inuaderet; nec desunt inter vestros Ecclesiasticos, qui in ipsa sua morum sanctitate gemino lecto cubant. Nulla mea in te iniuria est, sed tua in nos ingens est, qui sciens volens non sine infamia nominis tui scribere audes, *licere apud nos sacerdotibus ex concubinis liberos tollere*, libêre, debebas dicere, sicut vobis libet fallere, & bonis omnibus interitum moliri; libet, inquam, petulcis quibusdam ordinis, dignitatísque suæ oblitis, licere nemo docuit, neque id illi ipsi etiam sentiunt, qui tam pudendæ cupidini frena laxant. Atque haud dubiè probrum est contra leges promissa præuaricari, sed tamẽ veniâ dignius est (vbi emendatio non desperatur) imbecillitate humanâ labi, quàm naturâ malitiosè subante ad adulterium pellici, quod inter vos euenire, tu non negabis, nisi velis omnium vestrum innocentiam prçstare, nescio, an nocentissimus ipse.

Famam eruditionis, inquis pag. vt supra, *phalerata inscriptione Fabius affectat, sed ferè affirmare ausim, verè eruditum non esse, qui ignoret, quis Camerarius fuerit.* Iam possum bonis auibus abire, Camerarij iudicio de me tam honorifico pronunciato. Eruditus non sum, qui Camerarium auum eius non noui. O qualis eruditionis defectus, Camerarium non nouisse! hoc quoque eruditioni Ciceronis, hoc Aristotelis obfuit, quia neuter, imò nemo ante Camerarij ortũ, Camerariũ nouit, nisi quidam inuenti sint, qui quis futurus esset,

cogno-

cognouerint; Deum propè & naturam accuſo neglectæ prouidentiæ, qui tantum eruditionis pondus in tam ſera ſæcula diſtulerint. O turgidum faſtu pectus! eruditio cum auo tuo nata in mancipium ei conceſſit, vt nuſquam aliò diuertere amplius poſſit, niſi cum bona appellati aui tui venia? Ego certè altioris ſpiritus ſum, quàm vt in egeſtate litteraria aut tibi, aut patri tuo ſupplicem; etiam alijs natura prouidit. At ad grauiora te iam gradientem video, ſequor.

Caput accuſationis eſt, ais pag. 19. *me huius infauſti belli auctorem, incentorem, belli conſilia miniſtraſſe, faces accendiſſe, circumtuliſſe, quibus nunc conflagret huius Imperij orbis*. Rem acu tangis Camerari, hoc ipſum accuſationis caput eſt, & ſumma querelarum totâ Europâ graſſantium; tu & tui Collegæ omnium malorum auctores fuiſtis, niſi velitis dicere veſtrum Principem ſine vlla tantæ rei deliberatione præcipitauiſſe, & vobis inſcijs atque ex omni parte ſacroſanctis, omnia ſurſum, deorſúmque miſcuiſſe. Quid igitur tu ad alios te, & tuum Principem ab inſano caſu dehortantes ſcripſiſti? Tantos ſcribebas, támque certis conſilijs veſtros conatus vallatos, vt felicem exitum nulla ſors amplius infeſtare poſſit. O vatem! ſed magis iam vaniloquum, qui inficiatum it, quod faſſus eſt pridem & teſtatur totus orbis, quem œſtro & cupidine rapiendi aliena percitus decurrit. Quò enim non profectus es, Camerari, vel vt arma con-

tra nos socia excitares, vel vt nostra vaginis contineres? vt securius cæpta in rebellione fureres, Cęsarémque prouincijs exueres, aut exutum longius arceres? Quod tu purgandi tui causâ adfers, adfert & Plessius, adferunt alij, & nemo motibus his ciuilibus causam dedisse videri vult ob tristes euentus? Si fors amicitior fuisset, si Mars blãdo vultu vos salutasset victores, vtroq; humero altior ambulâsses, & te Heroëm, ingentísque facti patratorem magnâ eloquentiâ ostentasses. Nunc luctuoso tragædiæ fine quisque aut silet, aut innocentem se mussat: innocentes, credo, fuistis Caluinistæ aliquando, horâ minimum illâ, qu â primã lucẽ hausistis; Hesperus iam vidit versutiores. *Hinc cunctas clades*, inquis pag. 19. *calamitatésque quas bella secum trahunt, quibúsque in hodiernum etiam diem Germania premitur, an opprimitur, armis tamen diu ex nostris manibus, vt ipsi gloriantur, excussis, mihi adscribunt, & acceptas ferunt, consutis dolis, cùm personatus Fabius, tum farraginis Monacensis auctor, alij, sparsis subinde in vulgus infamibus chartis.* Cui rectius belli innumera mala, quæ Germania perpessa est, adscriberemus Camerari, quàm belli auctoribus? inter hos autem tu non postremus, quocirca rectè tibi dicitur, quidquid alijs dicitur, & quod alijs obijcitur. Chartas quasdam tuarum laudum cantatrices, quas luci damus, infames vocas, non malè, si à contento nomen ducas, nulla enim alia, nisi infamia referimus, sed

omnia

omnia vestra sunt. Arma vobis vtique excussimus, nec semel quidem; sed instar Centimani illius Gigantis, noua brachia nouos enses versantia exeritis. Inuenietis Herculem, qui præcîdat, si libeat in arena toties infausta, progredi. *Quibus* ais pag. ead. *quid ego respondeam. Hoc vnũ quod apud Romanos pronũciare Iudices solebant solenni formula; Calumniati estis.* Expecta sis Camerari, Vox Iudicis non conuenit Reo; tuum est crimen obiectum diluere, quod inter illos vnus sis, qui omnium testimonio rebellionis crimen admisere: Hoc vnum te mactat, etiamsi alijs tuę amentię argumentis destitueremur; quare desistas porró mutire.

Segmina quædam litterarum nostrarum inquis pag. vt supra. *producunt. Sed ad illa ipsa ego prouoco. Vbi solidum in illis argumentum, quo euincant, me primum, & præcipuum & quidem deliberato animo suasisse bellum, me consilijs meis Principes in illa discrimina præcipitâsse, & quæ his atrociora addunt, cumulántque.* Paucula è pudendis satis fore arbitrabamur fronti tuæ, sed quia illa tam lata est, vt fragmenta minutiora rubefacere eam non possint, tota litterarum sistemata publico exponemus; iam strident præla. Nimis autem acutus es, quòd postules, vt ex litteris tuis demonstrem te primum & præcipuum belli tam funesti suasorẽ fuisse. Satis est me in illis videre te consuluisse, probâsse, & ad illud indefessam operam contulisse. Hoc cùm neque

tu negare possis, nisi velis ipsam impudentiam superare, rectè te primum & præcipuum auguror, vtpote maximè industrium, & ad ancillandum Principis tui cupiditatibus promptissimum. Nunquam enim fateberis quemquam aliorum in aula vestra ministrorum tibi primæ diligentiæ gloriam abstulisse; compertúmque experientiâ est, neminem vnum ex tanto numero fuisse, qui tam intentâ curâ æstuârit, tot itinera fecerit, tot Vrbes & Principes sollicitârit, vt funestę rebellioni vires accederent, & Cæsar à suis excluderetur. Tu artem fallendi, tu suadendi nosti; tu molli sermone, tu linguæ illecebris influis & incautos fraudulentâ loquentiâ inescas, aptissimum struendæ technę instrumentum.

Consilia mea in hanc rem, in hunc scopum concepta, se vidisse, legisse, Fabius affirmat: producat ista, si potest, in forma, vt loquuntur authentica. In toto illo centone Monacensi nullum tale consilium reperies, quo deductis causis, rationibus & medijs, Principes ad bellum Pontificijs inferendum impulerim. Confidenter Camerari & astutè. Nimium à me postulas, dum consultationem tuam primariam, in qua belli suscipiendi argumenta, longâ serie, deducuntur, exigis; illa mihi non reperta est, nota tamen ex tuis epistolis, in quibus patulo quasi sinu mentem tuam recludis. Veni sis, & pellege epistolam tuâ manu exaratâ Francofurti $\frac{1}{2}\frac{1}{4}$ Iulij anno 1619. quo tempore omnem operam dedisti, vt

Electio

Electio Cæsaris componendæ in Imperio paci posthaberetur, non quòd pacem vllam, nisi ad libidinem tuam, contra ius & fas expressam, malles, sed vti Ferdinandus per moram astu quæsitam ab Imperij diademate consequendo arceretur, & Bohemi intereà res suas alienis opibus stabilirent, quod facilè fieri poterat tuo Principe Vicaria per interregnum sceptra tractante. In hac igitur Francofurtensi epistola cum morsu quodam animi ex sermone Orschinovvsky rebellium Legati coniectas, Bohemos cæpti belli tædio sensim affici, vt fieri amat apud eos, qui finem rei periculosæ properatum desiderant, non videre te autem quomodo salua Prouinciarum fœderatione pax iniri possit, Ferdinandum suâ fortunâ vsurum. An non hic tria, mi Camerari, metuis? vtne bellum finiant Bohemi, vtne fœderatio rebellium pace dissuatur, vtne prosperetur Cęsar, & fortunâ suâ vtatur? Ergò tu bellum maluisti, & suasisti, nisi Consiliarij Heidelbergenses suadeant, quæ horrent? In fine litterarum nocentius venenum fundis, dum scribis. Apprimè considerandum, quid facto opus, vt Bohemis promissa seruentur, &, ne hostiles belli primordia temere præcipitentur. Quibus verbis Camerari Martem non horrescis, sed lentiorem vis, tectiorem, & vno verbo, Caluinisticum, vt Catholici hostes se habere non sciant, antequam sentiant, & tu ex tuto ferias; generosus miles cùm solus pugnas. Vid. lit. A.

In alia epistola itidem ad Principem Anhaltinum. Vid. lit. B.

26 Iulij. / 5 Augusti eodem anno missa, primò Regem magnæ Britanniç laceras, tanquam in inutilem legationem Francofurtensem pecunias profundentem, quas rectius & consultius *in arcano bonis Bohemis* (sequor Germanicæ linguæ vestigia) tunc rebellantibus numerasset. O inconsideratum Regem! qui bonis benefacere, & bonæ rebellioni subsidia ferre prætermittit, alibi liberalis.

Iisdem in litteris ita insis, breuem fore potentiæ Bohemicæ sortem, nisi fœderatæ prouinciæ de continuatione belli cōsilia capiant, & hoc ipsum solerti cura Bucquoium captare. Ne quid autem hoc in genere Bohemis consilij deesset, tu ex fœcundo pectore etiam iniussus largiter depromis. Si quælibet prouincia (ratiocinationem tuam describo) suis militibus stipendia persolueret, quod in plures annos quælibet potest, diuturnitas temporis tot locis bello districtum Hispanum tandem fatigaret, præsertim inducijs Belgicis ad finem properantibus, & fortasse vterentur hac occasione etiam Sabaudus, Venetíque ad res nouandas; sicut pariter contingere posset, vt interea loci è Gallijs melior spes affulgeret, quod faxit (ipsissima hęc verba Camerarij sunt germanicis inserta) Deus ter Opt. Maximus. Ignorassem Camerari te tam impensè pium, nisi has iaculatorias, aut bombardarias preces fudisses. O Pacificum virum Camerarium! qui totis votis ad bellum anhelat, consulit enim primò, vt bellum continuetur, & Hispani potentia frangatur, dein magno desi-

derio

derio optat, vt Sabaudus, Venetíque nouę Bellonę litent, vt Rex Galliæ quoque pacem turbet, & quidem sollenni formula tam ardentes preces claudit, ***Faxit Deus ter Opt. Maximus.***

Aſt progrediamur in poſtſcripto, vt vocant, cùm Camerarius rem & ſpem ſuam perditam vidiſſet, & ſuffragationes pro Rege Ferdinando ſecundas intellexiſſet, ita lamentatur. *Video Ferdinandi Electionem ante oculos, niſi Deus, quod poteſt, eam per miraculum impediat, quod fieri poſſet, ſi Pragæ abdicatio eiuſdem procederet, quo caſu hæreo, quid conſilij Palatino capiendum ſit; fortaſſe ſatius eſſet, diem electionis non obire, quàm cum alijs Septemuirale conclaue ingredi, Ferdinando gratulari, & miniſteria exhibere, quod Bohemis, fœderatiſque admirationem, offenſionémque pareret.* Hîc rurſus ſcilicet paci ſtudet Camerarius, qui abdicationem tantùm & rebellionem ſuadet. Nos quoque hanc tibi pacem Camerari peroptamus. Iam Herum tuum, & Conſiliarios eius abdicauimus, fruere hac pace, ſi ita lubet, ſed alibi. Quæſo, mihi in aurem inſuſurra, cur Bohemorum oculos formidaris arbitros honoris Cæſari Electo habendi? An quia exoſus Cæſar Bohemis erat ijſdem exoſus fieri nolebat, ſucceſſurus in ſolium nondum viduũ Palatinus? Iam properabatis animo Pragam, & ne gradientes moraretur offenſa, ſtatuiſtis po-

tiùs nomen Cæſaris Electi, eiúſque Imperium contemnere, quàm honorare. Imitati Parides, qui amore dementati, fixo obtutu rapiendam Helenam obſeruant, ne quid admittant, faciántue quod ſtellatos eius, incantantéſque oculos auertat, aut amicę ſudum frontis perturbet. Nec ſolùm Cordolium tibi Camerari peperit Ferdinandi Regis fortuna, quæ ei Imperium deſpondit, ſed Electorum conſpirantium etiam conuenta de Bohemis Cæſari conciliandis, pacéque Germaniæ reſtituenda, hinc publicæ quietis ſtudioſiſſimus ita ſcribis. *Nos* (Legati Palatini) *concluſam Collegij Electoralis interpoſitionem impedire non potuimus.* Ergóne Camerari tam tibi pax cordi eſt, vt eam impugnes, & velis rebellionem? quanquam ſpes tibi ſupereſt in Bohemis, auctoritatem Senatus Imperij, facilè contempturis, & in inſania perrecturis, imò Legitimum Regem de throno ſuo deiecturis. Hinc calamus tuus parumper exultat, dum his verbis chartam coinquinat. *Si abdicatio contingat, Electorum interpoſitionem in nihilum abituram:* Iô triumphe, ita accidit, vt diuinâſti, quia enim nemo vobis arma ſumentibus arbiter pacis fuit, nulla coiuit conniuente ad temeritatem veſtram Deo, vt vos regno exturbaremini, qui Cęſarem ſpoliatum ibatis. Hic modus pacificandi magis placuit, nam poſtquam abiſtis, pax eſt.

Pergamus in amore quietis tuo. Addis in ſcripto poſtquã deplorata omnia in Electione Cęſarea iudicâſti.

Bohemos, fœderatósq; (inter quos etiam Austriaci fuere) *esse animandos, ne conatus suos pro deploratis habeant, te teneri duntaxat sollicitudine bellicæ continuationis, quæ tamen impossibilis non videatur, si fœderatæ prouinciæ rem cum bono ordine instituant, iam tempus esse, vt sese resoluant ad exemplum Statuum in Belgio, malè alioqui illis abdicationem cessuram.* Mirum est, Camerari, quòd nemo te oliuâ coronet ob tantum pacis studium, quo si non stabilire illam decreueras, pellere statueras, omnium malorũ studiosus.

At ne possis deinceps fremere, segmina duntaxat tuarum litterarum, & fragmina nos libris inserere ad exaggerationem tuorum facinorum, & omittere, quæ minuere possent, habe tibi hoc loco extra ordinem hanc epistolam, tuâ manu exaratam, tuo annulo signatam, quantam quantam, XI. Decemb. annno 1618. scriptam ad Cancellarium Heidelbergensem, sed meo consilio extra siparium eam ne lege, ne flammæ pudoris te prodant: atrox enim illa est, & perfidissima in Cæsarem, cui cùm Doctor creareris, longè aliam obseruantiam iurâsti. Vide tua verba.

Dem Ch. P. Cantzler / Meinem großg. Herrn zuzustellen.

GEstrenger / Woledler / Großgünstiger Herr Cantzler / Ich hab heut die Nacht den sachen noch weiter nachgedacht / vnd bin mit dem von Plessen noch der bestendigen Mainung / daß

eintweder mit der vorhabenden interposition nichts werden/oder dieselbe/ sonderlich wegen Ch. Sachsen humor / den Euangelischen Stenden mehr schädlich / als nutz seyn werde. So dörffte aber jetzo die noth den Kayser vnd Ferdinandum zwingen / daß sie den Böhmen / wie den Vngern in allem satisfaction theten/ es werde hernach gehalten / wie es wölle / Ich hoff aber / die Königreich vnd Länder werden dabey jhre jnnerliche assecuration, defension, vnd mantenentz in acht nemmen. Gleichwol vnd auff solchen fall / da der Kayser sich der N. O. Ständt vorschlag mit dem General conuent bequemen solte/ so were alsdann meines einfältigen erachtens/ daß P. zu solcher zeit einen vornemmen der Sachen kündigen Rath in loco darbey hette/ so hochnötig/ als jmmer jüngst gewest / da And. Paul nach Wien geschicket worden / vnd dörfften daher in kürtzen solche momenta vorfallen / daß auch F. Christians absentia parum tempestiua seyn möchte/ guet were es/ daß jhre F. G. zuuor die Böhemische Ständt wol informierte, daß sie keine gefährliche inducias, vilweniger pacem minus tutam, in alle weeg aber kein disarmirung eingiengẽ/es disarmirte dann der Kayser zugleich/cum effectu,& totaliter, vnd daß ohn verwilligung der Königreich vnd Länder Er nit widerumb armiren solte oder könte / oder daß dagegen die Ständt executionem paratam in Händen hetten / daß auch die Ständt bey aller handlung in acht nemmen/ne vllum vel sibi,vel nobis,vel causæ communi præiudicium adferri permittant, vnnd daß in die amnestiam mit eingeschlossen würden alle / So jhnen mit rath vnd that die hand gebotten/ dergleichen subiectiones Herrn Achatio von Dona auch mit auffgegebẽ werden könten. vnd insonderheit auch disen casum in gehaimbd zuerfarhen / Im

fall

fall den Ständen völlige satisfaction widerfahren solte/ ob sie nichts destoweniger den Ferdinandum zu repudirn semel pro semper entschlossen, welches ich in den verzeichneten Puncten vergessen/ vnnd doch ein notabilis circumstantia ist/ die auch propter futuram Regis Rom. electionem wurde in acht zunemmen seyn/ propter multas causas. Ich sihe auch nit/ wie causa communis bey obgemelten tractaten der Länder könte in acht genommen werden/ da niemand von wegen P. oder anderer Euangelischen Ständ im Reich dabey seyn wurde/ oder wie auch von anderen vil zuerhalten/ da die Vnirte bey jhnen nichts thun wöllen/ von welchem letzten passu ich dann Wirtenberg vnd Baden vmbständig vernehmen/ vnd so vil möglich/ zu etwas guts zu disponirn mich bemühen wil/ hab ich wolmeinend vff verbessern erinnern wöllen/ ob F. Christian ꝛc. zue Herren Achatij abfertigung dergleichen bey rechter zeit noch zugeschriben werden könte.

Dem Herren Cantzler mich vnd die meinige dienstlich befelhende/ vnd jhme alle wolfahrt wünschend. Sign. 11. Nouembr. anno 1618.

E. G. DW.

L. Camerarius D.

Nobilis & Strenue Domine Cancellarie.

Hac nocte rebus nostris impensiùs intentus adhuc opinioni Domini Plessij constanter adhæreo, cogitatam Interpositionem aut omnino nullam futuram, aut certè ob Saxonis Electoris humorem Euangelicis statibus plus

detrimenti, quàm vtilitatis allaturam. Necessitas fortasse iam Cæsarem, ac Ferdinandum coget, vt Bohemis Vngarisque in omnibus satisfaciant, quomodocunque posteà seruentur promissa. Spero autem Regna hæc, ac Prouincias curam habituras suæ assecurationis, & vbi opus fuerit defensionis. Quanquam si Cæsar inferioris Austriæ Ordinum consilijs de Generali conuentu habendo acquiescat, è re fore iudico aliquem per id tempus de præcipuis Palatini Consiliarijs conuentui illi interesse, non minus ac nuper Viennę interfuit And. Paulus: possent etiam interuenire talia momenta, vt absentia quoque Principis Anhaltini parum tempestiua esset. Vtile foret, si illustrissima eius Celsitudo Ordines Bohemicos prius diligenter informaret, & moneret, ne vel inducijs periculosis, vel de pace minùs tuta, nunquam verò de armis ponendis paciscantur, nisi ea Cæsar simul cum effectu, & totaliter ponat: & vt sine consensu Regnorum, ac Prouinciarum arma resumere nec possit, nec ausit; aut certè Executio parata in manibus ac cura Ordinum sit, præcipuè tamen attendant, ne vel sibi, vel nobis, vel caussæ communi præiudicium adferri permittant, vtque omnes amnestiâ seu immunitate illâ contineantur, qui illis aut consilio, aut opere auxilium tulerunt. Eiusmodi subiectiones plures Domino Achatio à Dona in mandatis dentur: inprimis verò hic casus occultè exploretur, an, si fortasse Statibus omnia concederentur, nihilominus semel pro semper illis de-

lis deliberatum ſit Ferdinandum repudiare? quod in punctis annotatis à me omiſſum, notabilis tamen circumſtantia eſt: quæ etiam propter futuram Regis Rom. Electionem neceſſariò propter multas cauſſas in conſiderationē trahi debet. Neq; intelligo, quo modo cauſſa communis nominatis Prouinciarū tranſactionibus obſeruari poſſit, ſi nemo ex Palatini, aut aliorum Imperij ſtatuum Conſiliarijs conuentui illi ſit futurus prȩſens, aut quomodo aliquid ab alijs obtineri poſſit, ſi Vnitis parum animi ſit iuuare. De quo poſtremo diligenter, & accuratè mentem Wirtenbergici, & Badenſis explorabo, operámque dabo, vt vtrumque ad aliquid faciendum diſponam. Hæc optimâ mente, vt omnia rectiùs fiant, ſignificare volui, ſi fortaſſe Principi Anhaltino placeret, vt ad Domini Achatij de Dona expeditionem hæc quoque maturè adijcerentur. Domino Cancellario me, meóſque officioſè commendo, & omnia fauſta precor. Sign. XI. Decembr. Anno 1618.

Dominat. V*æ*
officioſiſſimus

L. Camerarius D.

Quid deeſt huic tuæ epiſtolæ Camerari? Súntne quædam, quæ deplores, omiſſa? ô quàm malles omnia omiſſa; nunquam meliùs ſcribis, quàm cùm parum ſcribis. Quàm multa hinc diſco? præter alia, & hoc, tuum de

Electore

Electore Saxone iudicium, cuius æqui, rectíque amantem animum, nescio quem humorem appellas, ipse Caluinianâ versutiâ heteroclitus.

Alterum est Caluinistas Heidelbergenses solitos Andreas Paulos, belli flabra emittere, aliarum Prouinciarum conuentibus irrepere, & Seditiones aut concitare, aut concitatas acuere.

Tertium vos consuêsse rebellionem ad euertendos Dominos instruere, animos facere, circumcursare, auxilia sollicitare.

Quartum vos laborare, vt populi excusso obedientiæ iugo Principes & Reges etiam postquam ad libidinem postulantibus omnia permisere, potestate abdicent, regnis exuant, terris exigant. Sed quid multa enarro? disco omnia, quæ ad turbandam alienam Rempublicam faciũt, & calleo iam ductore & doctore Camerario Orbem terrarũ perdere. Interim pacis vbique suasorem agit Camerarius, Martẽ horret, detestatur bellum vel in ipso suo tympani pulsu, quo milites ad impium prælium accendit, periturus suo voto, & consilio.

Hæc cùm ita sint, intueatur lector Camerarij, qui in Apologia sua pag. 20. hęc scribere audet, *Pro me tantum nunc dico, me solum defendo contra falsissimas criminationes, & atroces Fabij, aliorúmque Calumniatorum iniurias. Tantum abest bella promouerim, vt pacis semper, natura ad moderationem fa-*

ctus

ctus, studiosissimus fuerim. Semper mihi in ore, nec domi tantum dulce pacis nomen, sed foris etiam ac publice, vbicúnque fuit occasio,

Pax optima rerum
Quas homini nocuisse datum est pax vna triumphis
Innumeris potior.

Hunc tuum sermonem putere etiam obesissimæ naris homo sentit, & miror te sine velo tam impudenter audere vultum honestis oculis obijcere. Quàm bellè te natura ad moderationem finxit! finxit planè, quia moderatus non es, neque vnquam studiosus pacis fuisti, aut eris, quamdiu spes superabit vindictæ, adhuc hodie bella cogitas & paras; sed experiere.

Tribus verò argumentis probas te belli consilia auersatum: Primum, Norimbergâ Bellonæ fulmen emicuit, quo tempore Camerarius alijs rebus, negotiísque intentus fuit. Sit ita; ante strepitum fulminis, terrea exhalatio nubes percurrit, & ardescentem inquietè pestem acuit, vt ruptis nubium compagibus elisâ flammâ terreatur orbis: pridem tu preparaueras Marti viam, nec refert quòd abfueris, cùm patefacto papilione processit, induisti eum loricatis consilijs, vt progrederetur. Alterum, est Principis tibi noti testimonium, non certè innocentiæ tuæ, sed vafritiei, quâ domi, quâ foris naso suspendere poteras, quicunque tibi aures accommodabant. Calamo valebas blandiente, & præferebas hunc inter tuos seueris

quorundam Imperijs; Nobis tum solùm Ambrosiam ministrâsti, quando animus erat fraudes struere, & præcipitare imprudentes.

Tertium, Camerario non ideo in castra proficiscendi animum fuisse, vt *Principis sui bellica consilia dirigeret, sed vt vnionis acta & simul Palatinam Cancellariam, sub fidem & tutelam reciperet.* Quid desideremus amplius? testatur ipse Camerarius se Martialem non fuisse, quis dubitet? Camerarius tabernas non cupit intrare, nisi vt ieiunet; fornices & prostibula non adire, nisi vt Castitatem tueatur, non in bellum proficisci, nisi vt paci studeat; vt cùm alij decernunt pugnâ, ipse intercedat, vt cùm alij hostem inuadunt, ipse tueatur, vt cùm alij aduersarios immaniter occidunt, ipse cæsos ad vitam reuocet. Obseruet Lector futilem linguæ Camerarianæ lubricitatem. Suprà cùm recitaremus eius bellicas conditiones, in altera hæc fuêre verba. *Quia habiturus sum omnia militaria acta, & quasi Cancellariam, eiúsque directionem sub cura mea, &c.* Hoc autem loco vafrè admodum id totum pernegat ignarus captarum chartarum, quę iam illum capiunt, & toti mundo bilinguem produnt.

Sed plus vltrà; *Pacem me Hercle*, ait Camerarius pag. 22. *apertè, & grauioribus verbis quocunque modo ineundam Domino meo suasi. Is tamen tum temporis in Palatinatu aberat, nec leuis*

Spe

Spes erat armis illum recuperari, & ab externo milite liberari posse. Et profectò etiam pax, nunquam abnuente Domino meo, coïsset, nisi hanc reiecissent alij. Pacis verò quam cupidus Serenissimus Rex Angliæ fuerit, Orbis Christianus nouit. Atque huius se arbitrio Palatinus Elector pacis studio totum permiserat. Præclarè de tua innocentia Camerari meruisses, si illa grauia verba tua pacem suadentia nobis non inuidisses: quanquam mihi dubium non est te pacis suasorem fuisse, sed tum tantum, quando res bello perditas vidisti, & mox vbi noua spes armorum affulsit, thoracem proiectum rursus induisti; Et ego tam ingeniosus sum, vt, cùm succumbo, pacem clamem.

Regem magnæ Britanniæ pacis cupidum fuisse scimus; sicut & hoc, eum improba vestra consilia de Regno alieno occupando execratum, & Generum suum à temerario cœpto dehortatum, sed non scimus tuum Principem Soceri sui Maiestatem vnquam reueritum, ne in pace quidem componenda, quam ille imperabat, vt proinde tu hic sciens volens pueros imiteris sese excusantes; quanquam non omnino imitaris, nam illi in ipsis suis dolosis verbis, aut titubant, aut erubescunt. Anno 1623. 11. Augusti in litteris ad Gaborem non obscurè Herus tuus stomachatur aduersus Socerum suum nimiæ pacis imperiosum, significátque se ob eius importunitatem vix de- Vid. lit. C.

fugiturum propositæ pacis tractationem, in ea se tamen fore cautum, vt rerum summæ nihil officiat, siue quod idem est, vt in pactione fallat, & picturatis verbis, quorum insignis Camerarius artifex est, astum Caluinisticum obnubat. *Vtinam verò*, pergis pag. 22. Camerari, *totum, integrúmque Archiuum Palatinum, quo hostes potiti sunt, quodque etiam iam in manibus habent, bona fide & sine fraude publici iuris facerent.* Stultè voues, mi Camerari, nescius ea concoquere, quæ iam sunt publicata. Totum Archiuum nacti non sumus, nobiliora iam erant auecta, bona tamen pars in prædam cessit, vnde discimus, quales in alijs fueritis. Certè quæ nobis ad manum sunt, apertè docent, nullam per octoginta prope annos discordiam in Imperio exortam, cuius vos aut auctores, aut adiutores, aut fautores non fueritis; fructus hic Euangelij est Geneuæ geniti.

Fidem nostram quid sugillas? in quo vacillauit? multa criminaris, multa vociferaris, nihil demonstras. Ægrè fers Saxonem nostris scriptis exasperari, & vobis infensum reddi: Non iniuriâ facimus, & quia de illo perniciosa scripsistis & cogitâstis, Quid vobis amicos conciliaremus? Vos totum mundum aduersus nos exasperare nitimini; & tu ipse Camerari nihil aliud agis, nihil moliris, nisi vt omnes Principes, & Imperij Vrbes in nos concites, & haud dubiè varijs cum criminationibus; cur mihi, alterísue vetitum sit, veris maleuolentiæ vestræ indicijs

aduersus

aduerſus vos Saxonem excitare, & ſignificare, quæ vos iri eũ machinabamini? Sed hîc te impetus rapit ad conſultationes, quas Heidelbergæ deprehendimus, & in diabolicam veſtram audaciam, vti moderatè loqueris, tantopere irâ furis, vt cum felle ipſa amarulenta viſcera effundas, quaſi eas tibi, aut Domino tuo affingeremus. Nihil cuiquam affingimus, mi Vir; ſuis ductoribus quæ prompsêre, reddimus. *Vnus duntaxat ſcripſit*; Scio: Vnus duntaxat ita ſenſit, hoc neſcio, & ſi tu affirmes, non credo, præſertim cùm lac lacti non tam ſit ſimile, quàm ſeditioſorum Caluiniſtarum ingenia. *Non eſt protocollum*, ais pag. 23. *Secretarij alicuius*: Sit ita; interdum Magnates vicem Secretariorũ obeunt. *Protocollum priuatum eſt*; dem hoc, ſed continet, quod alijs proponam, vt publicum fiat. Et quis mihi fidem præſtet Tſchernembelium ex aliorum in Senatu conſidentium ore magnam partem non excepiſſe? Suſpicio iſta eximi mihi non poteſt. Agebatis iſta, quæ protocollum illud docet, & nos tam amentes ſimus, vt negemus ſcripta, quæ agerentur? Inuenimus hunc Codicem Heidelbergæ; iure igitur Heidelbergenſem Codicem appellamus; ſciuimus Heidelbergenſis Principis Conſiliarij propriam manum eſſe, qui Pragæ cũ regnaretis, in bellico conſilio præſedit, ſicvt fatetur Socius tuus in ingreſſu Animaduerſionũ, vt fruſtra ut ſuſpicionem amoliri à te contendas his verbis. pag. 24.

Priuatum, & Extraneum quendam, qui nunquam, quamdiu vixit, in illo conſeſſu Heidelbergæ viſus eſt, in medium producunt. Studioſè non nominant illum ex certis procul dubio cauſis. Auſtriacus Baro eſt, Georgius Eraſmus Thernemblius: Heidelbergam ille venit, & Scripturas illas ſuas eò ſecum attulit, poſtquam ego iam ex illa vrbe in Belgium profecturus exceſſeram.

Audio hęc omnia, ſed animum & verba non muto. Protocollum tam impium, Heidelbergenſe eſt, quia Conſiliarij Heidelbergenſis eſt, non priuati, vti tu decipis; ſed Præſidis bellici, ſiue is conſilia ſua Heidelbergæ, ſiue Pragæ Heidelbergenſi Principi attulerit. Multa certè ex ijs Pragæ habita ſunt, quædam etiam poſt pręlium in fuga, ſeu Ambergæ, ſeu Heidelbergæ; ſeu alibi. Partus veſter eſt, quocunque loco natus, Pater Heidelbergenſis Conſiliarius, qui hoc nomine etiam Palatinum fugientem ſecutus eſt, vt res eius Pragenſi prælio afflictas conſilijs ſuis leuaret, quod me docet magna teſtis Palatini Mater, quæ ideò valetudini Tſchernemblij indoluit, effuſis in epiſtola ad eum data votis, ne diutiùs tam ſalutaribus magni Caluiniſtæ conſilijs fraudaretur. Quin imò ipſe Fridericus è Belgio fiduciâ Badenſis exercitus redux, datis Heidelbergâ litteris Tſchernemblium è notis in alieno ſolo latebris reuocat, non certè ad bellandum, vti vir eſt, ſed ad conſilia meditanda.

Fride-

Friderich von Gottes Gnaden / König zu Böheimb / Pfaltzgraff bey Rhein / Churfürst.

GEstrenger lieber getrewer / Demnach wir durch die Gnade GOttes in unsern Erblanden deß Churfürstenthumbs der Pfaltzgraffschafft bey Rhein/ohnlängst hin glücklich widerumb angelangt/ darauff uns zu Feld begeben / und dem Läger nachziehen / darbey wir deiner Person benötig : als befelchen wir dir hiemit / daß du dich alsbald und mit ehester deiner gelegenhait erheben / und zu uns / wo wir alsdann anzutreffen seyn werden / verfügen wollest/sachen halben/als du zuuernemmen/versehen wir uns zu dir gnedigst. Signatum Heidelberg den 26. Aprill. 1622.

Friderich.

Fridericus Dei gratia Rex Bohemiæ, Comes Palatinus Rheni, Elector.

Strenue, dilecte, fidelis. Postquam per Dei gratiam ad natiuam hęreditatem nostram Electoratus Palatiniani nuper feliciter redijmus, ad exercitum nos contulimus castra sequuturi, in quibus cùm tuâ operâ opus sit, hisce mandamus, vt primâ occasione huc iter tuum instituas, & ad nos, vbi vbi fuerimus, te conferas ob causas, quas intelliges. Ita expectamus. Signatum Heidelbergæ 26. April. Anno 1622.

Fridericus.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, fruſtra ſcribis, *Nunquam fraudis ſuſpicionem vitabunt* (loquitur de nobis pag. 25.) *cum tantum eiuſmodi apocrypha, & dubias priuatorum hominum, ſingularéſque annotatiunculas ſubinde diſſeminant, malæ mentis, malæ fidei argumenta.* Bona verba Camerari, neſcis tribulem tuum Pleſſium, aut alium nobis doctrinam Windeckij & Scioppij priuatorum hominum (neuter enim re ipſa, cùm hęc ſcriberent, Conſiliarius fuit) tanquam deteſtabilem obieciſſe ſtatim in veſtibulo Cancellarię Bauaro-Anhaltinæ? Si hoc malæ mentis, malæ fidei argumentum eſt, iam te noui; non eſt, quòd ampliús confitearis. Sed dicis dubias fuiſſe annotationes Tſchernemblij. Quomodo verò dubiæ? non dubitauit ipſe, quia ſcripſit, vt fierent. Res quæ proponitur, in dubium vocatur; conſilia à conſulente in dubium non vocantur, alioqui nihil conſuleret; neque Tſchernemblij ſcripta cenſeri debent priuata; nam & in Auſtria & Bohemia, antequam in delitijs tuo Principi eſſe cœpiſſet, omnium turbationum, ac rebellionum coryphæus erat, etiam ſub Cęſare Matthia, cuius Maieſtatem parum veritus, nomine aliorum ſæpiùs verba libertate nimiâ fecit, ab impudentia mutuatus, non huius ſolùm exitialis belli præſes, ſed aliarum quoque turbarum inſignis præcentor: neque tales diuerſa ab ijs ſcribunt, quæ faciunt, aut diuerſa faciunt ab ijs, quæ ſcripſerunt, vt

facerent,

facerent. Et mihi ſatis eſt vnum noſſe ex multis, imò multos ex vno.

Ad ſecundum Accuſationis Caput, inquis pag. 25. *nunc venio. Aiunt me primam operam dediſſe, vt Princeps meus maior fieret, me illi auctorem monendo atque inſtigando fuiſſe, vt regni alterius auſpicijs conſecrati habenas ſuſciperet, me malis ac noxijs conſilijs ad illicitam alieni regni cupidinem fortuna & genere ferocem Iuuenem illexiſſe, quotidianis ſibilis inflaſſe turgentem iuuenili Spiritu, vno verbo me Dominum meum Regem feciſſe.* Quàm doleo tantam tibi iniuriam irrogari, mi Camerari, eandem olim tulit Milo homicidij accuſatus: iam ſuprà te noxia conſilia ſuggeſſiſſe audiuimus, imò etiamſi non audiuiſſemus, inſana facta loquerentur, nam ſine conſilio regna aliena non occupantur; & te curiâ excluſum fuiſſe, cùm de re tanti momenti Sententijs certaretur, nemo mihi perſuadet, charius erat tam fœcundum Palatino pectus, & ſi factum fuiſſet adhuc fleres. Sed quid his diu immoror? Palatini, Anhaltiníque conſilijs tua contuliſti, illius ſuſurro, huius internuntius: quæq; Anhaltinus, & Achatius à Dona in Bohemia architectati ſunt, tu adornâſti alibi ſcriptione, alloquio, adhortatione, arte, aſtu, ope, operáque omni

Cum lucro veniunt cupita regna.
Cur te dedeceat negotiari?

Camerario aliàs otium arrideat, vbi herus, vbi ipse crescere potest, crescat & labor: quod obtinemus, nostrum est; quod amittimus, fuit; nam neutrum habemus. Demus autem te ab occupatione regni alieni abhorruisse, nihilominus tui muneris fuisset pronum ad illicita Principem compescere, nefas ostendere, pericula aperire, & totâ auctoritate tuâ obniti. Hoc monstra te fecisse, si innoxius esse vis. Nam aut consensisti alijs per Sententias noxias adulantibus, aut tacuisti; Si priùs, perîsti; si hoc, iterum saluus esse non potes, nosti enim vulgi dictum. *Qui tacet, consentire videtur*; imò tu penitissimè visus es consentire, nam vidit te omnis ora Germaniæ concursantem, & aut procurantem facinoris auxilia, aut auertentem arma aduersa. Quocirca omitte me examinare, vbi consilia tua legerim, examinandus tu es, vbi dederis, nam dedisse non euentus solùm, sed & tua manus probat.

Liquidas, inquis pag. 26. *& euidentes probationes iura requirunt, non coniecturas inanes, & friuolarum præsumptionum ludibria. In tota Anhaltina Cancellaria nullam epistolam meam inuenies, in qua disertè, specificè talia expressa.* Rectè moneor à Iurisperito officij, & pareo. Duo mihi probanda sunt, & regnum alienum legitimo Regi raptum, & cum consilio raptum. Negabis tu primum? Quis ergo occupauit

Bohemiam Ferdinando iam coronato desponsam & consignatam? An hoc mihi demonstrandum, quòd vos demonstrâstis cum exitio terrarum? Si ergo raptum hoc est, cum consilio raptum est, nisi malis fateri vos mentis inopes sine ratione arma rapuisse, & casu vestram fecisse Bohemiam. Quia ergo absque consilio nihil actum est, túque inter Principes Senatus consedisti, ijsdem de rebus Mercurium egisti, prensâsti, tractâsti, omnia tentâsti, ne tantæ rei conatus in irritum caderet, tuum est disertè ac specificè, vt tecum specificè loquar, ostendere, tibi Senatusconsultum non arrisisse, & tam mali conatus hostem fuisse. Quòd si feceris, cedam foro, neque fatigabo porrò Prętorem, vt te Maiestatis damnet.

Ast audi; Viator te vult, ap Prætorem redi, & tuo te testimonio onera. Anno 1618. 3. Nouembris tuo stylo cùm Matthias Imperator neque morte, neque mortali adhuc inualetudine tentaretur, hæc post reuersum è Pedemontio Christophorum Donam læta Euangelia ab illius oræ Duce apportantem, ad Principem Anhaltinum scribis. *Adhuc in ea sum Sententia vtile fore, si post leuatum Electricis nostræ vterum, Palatinus aliquot hebdomades suprà ageret (in Palatinatu scilicet superiore Bohemiæ contermino) eo fine, vt publica, in hac periculosa coniunctura* (hoc verbo inter patria tu vteris) *rectiùs tractari possent.* Alio Vid. lit. C.

 loco

loco eadem in Epiſtola inquis: *Timeo admodum, nos non optimè collaturos hibernum tempus, cùm tamen omnia in occaſionibus & vigilantia neceſſariò conſiſtant.* Mi Camerari, ſuntne coniecturæ noſtræ inanes, & friuolarum præſumptionum ludibria? Nónne tua verba hæc ſunt? An non tu auctor fuiſti, vt ſpolium Regni Bohemici, viuente adhuc Cæſare, feſtinaretur, & ea re Palatinus, deſerto Rheno ad confinia Bohemiæ abiret, & ex propinquo expeditiorem falcem in alienam immitteret meſſem? Quid minùs operoſam tantopere horruiſti hiemem?

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Atq; idcirco arma viróſque parari optas, Anhaltinúmque incitas, *vt pro noto Zelo*, libet tecum loqui, *remedium* (moræ & lentiudini) *adhibeat.* O amantem pacis, & omnia bella deteſtantem hominem! qui ſcribere audet, *Semper mihi in ore, nec domi tantum dulce pacis nomen, ſed foris etiam ac publicè, vbicunq; fuit occaſio.*

Pax optima rerum
Quas homini nouiſſe datum eſt, pax vna triumphis
Innumeris potior.

Quid huic linguæ faciemus, quæ tot paraſangas vltra veri limites exſpatiatur? In litteris ad Principem Anhaltinum
Vid.lit.D. 5. Martij Anno 1619. Cæſare adhuc animam ducente iſta ſcribit, *Me iam præcipua angit cura pecuniæ Bohemis*

hemis mutuandæ, à Palatino in reditum Illustrissimæ Celsitudinis V. dilatæ, ipsa iam mederi sciet, nam res integra amplius non est. In cæteris fiat, quod Deus volet. Domini de Donâ relationes de sua expeditione Britannica & Holandica, sicut quoque Mansfeldij reditus, & quidem non sine adiuncto materiam dabunt ad non leuem deliberationem. Deus iuxta det non recta solùm & salutaria consilia, sed etiam cor & animum aliquid tentandi ad honorem eius, próque libertate & religione; aliàs parum, aut nihil prosunt sapientissimi etiam, & optimi discursus. Heroicæ resolutiones debent supernè cordibus magnorum dominorum infundi. Hæc tu pacifice Camerari, vt in aperto sit vanissima tua de pace verba esse; non fuit turbulentior, & exitiosior homo in aula Palatina, nisi Plessius fortasse in hoc genere principatum ambiat.

Cùm in Comitijs, ais pag. 26. *Pragensibus Ordines ad nouam Electionem Regis Bohemiæ perrexissent, Ambergæ tum in superiore Palatinatu Princeps Elector Dominus meus fuit, nec quisquam cum ipso, nisi solum duo illi Principes, quos odioso nomine Triumuiros vocarunt. Consiliarij intimi cæteri, & inter hos ego quoque, Francofurti agebant.*

Quorſum iſta, Camerari? non quæro, vbi fueris, ſed quid ſuaſeris? Herus tuus importuno pro republica tempore Ambergam profectus eſt, laudabiliùs in propinquo manſiſſet Heidelbergæ, vt ſi quid impedimenti in Comitiorum curſu Francofurti obijceretur, præſto eſſet, & quæ viderentur in publicum commodum cedere, aut curaret, aut imperaret; neque tu queri poſſes, vt feciſti, & carpere reſponſa ipſius tardigrada. Si rem propriam ſpectes, planè opportuno Palatinus Ambergam conceſſit, nam ita eſt humanum ingenium, vt mortalium quilibet ad locum decurrat, vbi fortuna opes ſuas pandit aduentanti diſpenſatura. Etiam coruus auidè eò volatu fertur, vbi eſcam odoratur; *trahit ſua quemque voluptas*; certè Herus tuus tot annis cum otio abundaret, non fuit Ambergæ, & quando tam ardua eum circumſtabant negotia, proficiſcendum fuit, quia blanda Siren inuitabat oſtenſum diadema ſplendens interprete Anhaltino, verſante in Bohemia faciles animos, & ingenioſè conſtantiores incantante. Neque neſcio te tunc temporis Francofurti fuiſſe, pártésq; tuas egregiè impleſſe, ne Comitia ſecundum haberent exitum, ne Ferdinandus Cæſar eligeretur, ne Electores dicto iam Imperatore ſeſe pacis arbitros profiterentur, quia pax redditura erat Cæſari regnum, ablatura ſpem Palatino iam dudum alienis inhianti.

Perquiſiuit tamen Sereniſſimus Elector, inquis pag. 26, *Sententias noſtras, & has ſimiliter per litte-*

ras

ras coniunctim ei tunc perscripsimus. Illas litteras, & protocollum Secretarij, ex quo transumpta, in medium proferant; ilico in media luce apparebit ex hac parte Veritas, ex aduersariorum calumnia, & huius genitrix mendacium. Audacem te scientia tua facit; iam tibi Senatusconsultum hoc in tuto esse, & manus nostras effugisse; alioqui non lacesseres me ad promendum; prome tu; sed bonâ fide; quanquam minimè me latet, quia facilè est Vatem agere, ac bardus essem, si nescirem, quid animo tuo sederit in obuia hac felicitate, quæ haud dubiè recusanda non erat, neque enim:

Quâlibet Imperium dispensat, Iuppiter horâ.

Sed dic Sodes, vt familiariùs sermonicemur. Censuistísne, cùm vos Consiliarij Sententiam vestram diceretis, regnum amplectendum, an repudiandum? Si hoc, edocete palàm, & lędite famam Principis vestri rem tantam temerè aggredientis, contra tot dissentientes, præsertim cùm alicubi iactetis Palatinum ægrè assensurum, & non nisi post preces nescio quàm prolixè fusas: dein mens tua saltem, mi Camerari, mollior fuisset, quàm vt Principis tui iuuenilem impetum ad tantam fortunam præcipitem asperiùs frenasses, iam enim ideo propinquiùs accesserat Ambergam profectus, vt citiùs raperet, quod offerendum sciebat. Si amplectendum censuistis, iam crimine obligati estis, quia nemo iuris amans suadere alteri potest, vt manus in aliena porrigat. Dices fortasse te ab aliorum sua-

dentium

dentium sententia discessisse. Quis credat? hodie adhuc in illa manes, & post cruentam repulsam cogitas repetere, quod petendum te non suasisse ais. Alia innocentiæ documenta ede; his nocens nisi esses, fieres.

Ego sanè nunquam, ais pag. 27. *nisi in consilio, nunquam seorsim, aut extra consilium interrogatus fui. Ad ipsum Herum meum hîc prouoco, nullus mihi maior, cariórque testis esse potest, quàm ipse, neque opus est nunc ad redarguendos calumniatores accuratiori expurgatione; Sufficeret simplici inficiatione ipsorum audaciam refringere. Onus probandi in se susceperunt; illud ferant, illi si succumbant, talionem expectent.* Imò verò Camerari non sufficit simplex inficiatio ad te purgandum, vt etiam magnis his ingenij tui technis defensum te præstare non possis. Nihil dixeris extra consilium; licuit tibi eò magis esse pio in ipso Sacrario arcanorum, & Iouis genua prehendere, atque etiam obtestari summâ eloquentiâ tuâ, ne in tanta humanæ rei opportunitate sibi deesset; & fecisti, quòd vniuersi fecêre, nisi probes te refractarium fuisse, atque in Sententia iustiore obstinâsse: Tibi hoc probandum, nihil mihi, quia pro me stat valida opinio, qua nemo non imbutus, quemlibet ex omnibus reum esse, quando omnes rei esse noscuntur. Onus igitur probandi tuis humeris impone, & porta, aut succumbe. At digladiemur magis

punctim.

punctim. Si nuſquam Camerari niſi in conſilio de re tanta interrogatus es, quid fuit, vt extra conſilium toties reſponderes, alióſque quietiores concitares? Nónne ad quoſdam ſcripſiſti de Rege Bohemiæ abdicando, vt tuus Princeps regno imponeretur? Nónne ſcripſiſti Bohemos animandos, & iuuandos, vt Cęſar è Regno ſuo exiret, & Herus tuus intraret: Nónne laborâſti impedimentum obijcere Cęſareæ Electioni, vt amiſsâ prius Bohemiâ Ferdinandus ab Romano Imperio faciliùs arceretur? Palatinúſque intereà loci alienum ſolium conſcenderet, ſimúlque velut magnus per Germaniam Proconſul omnia per libidinem regeret, aut regio iam faſtu elatior, etiam Imperij Sceptrum Electoribus extorqueret:

Progreſſus eſt, ais pag. 27. *quidam terræ filius, qui ſine rubore ſcripſit, me à Principe meo in fugâ Pragenſi (ſic enim Fabius quoque diſceſſum noſtrum ex Bohemia appellat, & me illam Hero ſuaſiſſe turpiſsimè mentitur) ſtricto gladio abactum, cum tamen mihi nunc vitio vertant, quòd in fide conſtans etiam in exilium Dominum ſecutus ſum*,

Duo te, vt aduerto, pungunt: & quòd quidam ſcripſit te alioqui abiturientem Pragâ gladio herili actum; & quòd diſceſſum illum Fabius fugam appellet. Quis obſeruârit, ſcripſerítque te tam honeſtâ valedictione Pragâ pulſum mihi incompertum eſt; ſi fatum non eſt, Herus tuus nimis mitis fuit, & donauit tibi, quod non debuit.

De vocula *Fuga* quid moues? an non hostem ad mœnia noctantem, & insequente die Vrbi imminentem timebatis? an non consilij & mentis incerti, in ipsis adhuc tenebris per auersam hosti portam deproperâstis abitum, & in Morauiæ tuta festinâstis? inde tuo huic itineri nomen; profectio, quâ hostem euitare satago, fuga est; quòd si inhonestum putas ità è regno exire, scito etiam inhonestum fuisse, ità intrare.

Cum mendacio Fabiano triumphas: ausus est enim ille scribere consilio tuo Palatinum fugam ingressum: scripsit id Fabius, quia tuo loco tuam confessionem scripsit, quam minimè mutilam esse voluit, etsi tu velis, neque ille propterea mentitur, quia tibi quædam subticere sedet. Attende autem, quantum tibi ipsi existimationis demas, quod disertè affirmes te Domino tuo fugæ auctorem non fuisse. Quid hoc est, mi Camerari? Ergo Herum tuum (quia ad clementiam victoris non libebat confugere) à fortuna destitutum, à militia desertũ, inter perculsos etiam metuendósque ciues salutis dubium, vicinos hostes trepidantem, in ipsissimo vitæ discrimine anxium, etiam tu tuo consilio fraudâsti, & quod vnũ supererat, tuendi se remedium fugam non suasisti? Pessimus consultor es, qui pessima suades, cùm optima deberes? & optima prætermittis, cùm pessima non potes. Si igitur mentitus est Fabius, qui meliora de te scripsit, ne deinceps mentiatur, peiora scribet, scribet tamen ea, quæ gessisti, nam illa suppetunt.

Non

Non dicam nunc, ais pag. 27. *etiamſi apparerent quædam, quæ ad ſequiorem ſuſpicionem fortè aliquem abripere poſſent, difficillimam tamen accuſatoribus doli mali demonſtrationem fore, ſine quo nulla eſt ex conſilio obligatio. Verùm cùm manifeſtas probationes nullas in promptu habeant, vndique cuncta conquirunt, ex quibus & noſtram & ipſius Principis ambitionem arguant, ac conuincant.* Ea dicuntur apparere, Camerari, quæ non ſunt, cuius ſpeciem oſtentant. Vos eiuſmodi non ſpectâſtis niſi initiò, cùm pacem palàm venditâſtis, clàm bellum parâſtis; at vbi ſemel truces ſuos vultus Mars retexit, nihil tuo modo loquendi hoſtile vana ſub imagine apparuit: vidimus ipſum hoſtem, ſenſimus ciuile bellum, cuius te ſuaſorem fuiſſe, inde apertum eſt, quòd geſtum ſit, quia niſi Palatiniani ſuaſiſſent, nullum ſuſceptum fuiſſet. Dolum tuum malum, quòd bonum efficere velis, lepidus es, quia tam albæ mentis nos non ſumus, vt credamus vos amicitiæ cauſæ nobis inſidias tetendiſſe, & vbi maturum viſum eſt, bellum mouiſſe. Dolo conſultâſtis bellum, dolo cœpiſtis, dolo non finietis, ſapimus. Ad ambitionem V.am coarguendam, vt nimiâ ſollicitudine veſtigem argumenta, haud opus eſt. Alienum regnum ambire & rapere nequaquam & integri animi & moderati eſt: quis enim demum ambitus in culpa erit, ſi regnandi cupiditas in vitio non ponatur?

Inter alia, ais pag. 28. *nescio quod Monetæ genus Norimbergæ visum producunt. Fabius me eius auctorem libenter faceret. In illo igitur Friderico Palatino ipsum Romanum Imperium delatum fuisse garriunt. Nam hoc per malas artes nos ambiuisse, ac magnis iam initijs ad illud vi incesta aspirasse, his omnino verbis Fabius putidissimè mentitur.* Bona verba, Camerari; verbum *mentiris* tibi sæpè in ore, quia & haud minùs res significata est. Ecquid mentitur Fabius, vos regnum ambiuisse alienum? omnis Europa mecum stat, cui ex ipsis vestris scriptis iam publicè infamibus non obscura est cupiditas vestra; & vi incestâ vos ad concupitum adspirâsse, bella plùs quàm ciuilia, adhuc in hodiernum diem intonant. Illos superbæ & improbæ spei nummos tibi inuisos ais; Ast alij viderunt, sed & vanitatem eorum pariter viderunt. Per eos non diximus Friderico Palatino Imperium delatum, neque enim moneta, aut monetarij Cęsarē creant, sed signficārunt tantum animorum vestrorum sensum, quia bellum vestrum cœptum erat, non vt in Bohemia finiretur, sed victricia signa, si qua futura fuissent, Catholico quoque Imperio inferenda erant, non certè vt capras nostras tonderetis, sed vt Aquilam deplumaretis condecoraturi degeneres Leones. Tantus arrogantiæ tumor distenderat Caluinistarum pectus, vt cælandi alioqui sollertiâ cautissimum continere se non potuerit, quin in suæ cupiditatis indicium prorumperet,

&in

& in vesanis nummis describeret, quod diu iam magno cum pruritu volutabat. *Egregium verò documentum,* ais pag. 28. *adfert* (Fabius) *cùm in primario signo, in Pragensi pugna capto, has notas E. T. S. I. trabalibus litteris conspectas fuisse ait, an comminiscitur?* Citârat Heidelbergensis ambitus testes etiam Fabius litteras has, in Principe aduersæ aciei signo fulgentes, quæ & ipsæ indicant, quid bello Caluinistæ voluerint, primam enim litteram E. interpretatus est Est, alterum T. Tempvs, tertiam S. Svmendi, quartam I. Imperii, ita vt sensus fuerit. *Est Tempus Sumendi Imperij*: hoc documentum appellat Camerarius *egregium*, in quo ego eum nô corrigo, quia clarissimè ostendit immane Caluinistarum votum, quo summæ rerum potestati inhiabant.

Quòd si ingenio indulgere luberet, inquis, *longè aliter varijs modis explicare possemus, latinè magis & verè, quàm ipse fecit.* Sæpè nimis Camerari vos Caluinistæ ingenio indulgetis, & non solùm scribitis, quę varijs modis explicari possint, sed etiam loquimini, vt aliorum mentes exploretis, non vt vestram manifestetis, inuoluisse verba iuuat,

Vtimur ingenio & sincerum fallimus orbem.

Nos Caluinistæ, *qui sinceramus alios* noua non solùm phrasi, sed etiam nouâ arte. De Commento mussas? an arbitrare me vestra signa effingere, & lemmata legere, antequam scribantur? Vtraque acies vi-

dit ſuperbas has litterarum notas, quas ſi ſequius explicaui, vos, aut quæ deſunt, ſupplete, aut myſteria, ſi audetis, pandite, nam vt ego malas mentes bene interpreter, fruſtra eſt; timeo ne malitiam veſtram non aſſequar, etiam cùm peſſimè interpretor. Aſt *tu latinè magis, & verè interpretatus fuiſſes.* Neſciebam te tantæ elegantiæ ſcriptorem, Latij ciuem eſſe, penes quem Latini ſermonis arbitrium eſſet. Scilicet tu Latinitatem diiudices, Bartholi, & Baldi Legibus! Hanc ipſam Apologiam, niſi me omnis mens fallit, ſociâ manu compoſuiſti, vt ſi natiuo cum ſchemate non auderet prodire, alieno cum fuco ſpectaretur; inæquabilis vbique dictio, nunc purpura, nunc lacerna. Si ſoli nummi cupidines veſtras prodidiſſent, ſi ſola vexilla immoderationem indicâſſent, nullâ aliâ famâ anteuolante, nullo facto, quid veſtræ voluntatis eſſet, oſtendente, nullis ſcriptis Pragæ inuentis, fortaſſe religio ſuſpicionem cohibuiſſet noſtram; certè monetam & vexillum ad Rhadamantum non tuliſſemus, vt ſententia de ambitu ferretur; nunc tam hebetes non ſumus Camerari, vt Vulpium variatos ad fallendum in diuerſa curſus non aduertamus; feciſtis nos Sapientes, ipſi ſtulti facti.

Aiunt, inquis pag. 29. *Bohemiæ Ordines meo conſilio ad rebellionem impulſos; me ad Bohemos ſcripſiſſe, vt publicis Comitijs Ferdinandum regio Magiſtratu abdicarent, Herum meum eligerent,*

rent. Leniter, ſed verè & confidenter dico, malitioſè ex cerebro ſuo hoc fingere, quicunque talia de me dicunt, aut ſcribunt. Quando enim, aut ad quos ſcripſi? Et paullò pòſt. *Et ſcripſiſſe me ad Bohemos tam apertè affirmat effrenis Fabius.* Quò me vertam, Camerari? Vndequáque tuis argumentis premor, & elabi non datur; I porrò Fabi, & effuti quod reſorbendum eſt. Mi Camerari ne putes cum puppo tibi rem eſſe, primò enim ſi tu non ſcripſiſti, alius ſcripſit, cuius tu Socius eras, omnis noxæ affinis. Deinde neſcis illud noſtræ ſcholæ effatum?

Quod quis per alterum facit, per ſe facere videtur.

Exprobrata tibi iam ſuprà epiſtola eſt, quâ hortatus es alium, vt Bohemis animos faceret, ne ob Electionem rerum ſummæ diffiderent & bello deſiſterent. Nónne tu Camerari ſcripſiſti ad eundem Bohemorum Pythium, & belli hortatorem, Bohemis, idem cum Batauis conſilium capiendum? Abdicationem alioqui ipſis periculo, & incommodo futuram; ſi hæc tua verba, Camerari, non pertinent ad Bohemos, ſi non pertinent ad abdicationem Ferdinandi, Germanicè non intelligo, quem tamen audîſti olim Germanicè loquentem. *Si haberent*, ais pag. 29. *epiſtolas aliquas meas, ad Bohemos à me eum in finem exaratas, produxiſſent in publicum. Ego verò nonnullas Bohemorum ad me litteras oſtendere*

poſſum,

possum, in quibus iam facta & peracta noua electione enixißimè rogârunt, & obtestati sunt, persuaderem Hero meo, vt illam ratam haberet, & Ordinum desiderijs ne reluctaretur. Habemus & producimus eiusmodi litteras, iam audîsti; Vtinam ego ita tuas has à Bohemis tibi scriptas audirem; audirem aut simulata verba inter technæ conscios, aut quorundam innocentiorum Bohemorum, qui negotiationis vestræ ignari, arbitrati sunt Palatinum magnæ modestiæ iuuenem esse, & cunctari accipere, quod cupidissimè quæsierat. Ruppæ, Felsij, Turnij, aliíque audaciâ & rebellione pares procul dubio hoc officij genus à te postulauêre, nouerant hi Palatinum familiariùs, & Palatinus nouerat illos ob communia studia tibi non ignorata, quid enim Ministrorum fidissimum cælaret Herus tuus? Quòd si & ipsi per litteras tuam eloquentiam suasoriam appellârunt, ceremoniæ causâ fecêre, vt non omnes obseruarent, quod pauci facerent. Quod maximè cupis, si cupiditas in vitio sit, maximè cæla; & ad quod auidam dextram tendis, nega te velle. Hæc Caluinistarum sunt acumina, quæ vt parum intelligo, ita parum vtor.

Vellem auctorem, inquis pag. 29. *integras epistolas meas edidisse, in quibus procul dubio multa fuerunt inserta, quæ mentem & sententiam meam omnì ex parte clariùs & euidentiùs demonstrâssent. Nunc*

ipsa

ipsa variatio cum trunca tantum membra proferunt, eáque in medio sæpè scriptionis filo subito pro libidine sua abrumpunt, & simul perniciosa glossemata interijciunt, malam fidem profectò aduersariorum arguunt, totámque causam suspectam reddunt.

Iam causam obtinuisti, Camerari, suspecta aduersariorum actio est, quia totas epistolas tuas luci subtraxêre; imò verò gratias nobis debes, quòd breues fuerimus in flagitijs tuis enarrandis non sine commodo aliquo tuæ famæ, quæ minùs lacerata est, quàm oportebat. Quęrenti olim nescio cui, Ecquænam ex tanto numero Ciceronis Oratio habetur optima? responsum est Longissimam esse, quia bona, quò prolixiora, eò meliora. Si me quis interroget, Ecquæ Camerarij epistola sit perniciosissima? respondebo pari modo Longissimam esse, quia omnia apud illum homogenea, vt proinde inscitè, insulséque queratur truncos tantùm ex suis epistolis excisos, & proditos: beneficium fuit, mi Camerari, quod quia non vis agnoscere, iam habes, quod optas & propediem habebis plura, vnde clarebit nobis fidem constare, te fanda, infanda, vt speciosus appareas, comminisci. *Plerumque aliorum*, ais pag. 30. *dicta, aut facta refero; sollicitudinem meam de futuris non dissimulo; libertatis conseruandæ amorem, & studium præ me fero. Non sum aruspex, sed haud scio, an non quædam in illis prognostica*

animaduertere liceat, quæ non vana fuisse euentus ostendit. Nihil in illis tale, quo Bohemi inflammentur, ad quos nec debuerunt, nec potuerunt peruenire istæ meæ litteræ. Hæc omnia magnificè, & gloriosè, mi Camerari, si quæ sunt asperiora, aut Catholicis periculosiora in tuis litteris, ea aliorum sunt, quæ tu tantùm refers, & absque dubitatione etiam improbas. Ridiculum effugium? & quod soli Bæoti credunt, credo tamen alterum, quod subnectis, nimirum *te sollicitudinem de futuris non dissimulare*; probè & verè atque idcircò tantæ tibi curæ fuit continuatio belli Bohemici, nihilque magis anxiè timuisti, quàm ne pax coïret. Quæ de libertatis amore profers, cum discrimine accipio; omnino præ te tulisti studium libertatis, sed tuæ tantùm & tuorum, nostram oppressum ibas. Cur autem magnopere laborâsti, vt tu & tui liberi essent? an ceruicibus imminebat vestris Turca in seruitutem vos ducturus? Non erat in Imperio vllum libertatis periculum, etiamsi de Bohemię solio Ferdinandus non deijceretur, neque idem vlli etiam Caluinistæ compedes iniecisset ad Imperium euectus. Licentiam quęsîsti, sed malâ sorte; nam ad alienum iugum ingemiscis, & meritò cum exule Nasone ingeminas ex alto malorum prospectans:

Interdicta mihi cernitur heu patria!

Verùm cùm Augurio valeas, etiam absens patriam, & quæ in ea geruntur, intueris, vt minùs doleam te tam procul re-

cul relegatum. Quæ sunt illa tua prognostica? Si lamentabilem tui Principis euentum prospexisti? Ecquid tam perfidus fuisti in Principem tuum, vt ei inimica astra & Iouis fulminaturi iras non ostenderis? iuuenem in suum, aliorúmque exitium ruentem non continueris? Nónne ipse scripsisti, occupatâ iam regni prędâ, Principem tuum Maiestatis sede potitum, Dei & fortunæ fauore? Si Dei fauore potitus est regno, quid in auguratione tua vidisti? Si pulli non addixêre, & infelix tragœdiæ finis fuit, tuo adulatus es Domino, cùm ei in re iniqua, & omnibus Superis aduersa, atque illum perditura Dei fauorem prędicâsti? Porrò si litteræ tuæ non debuerunt venire ad Bohemos, res ipsa debuit peruenire; propterea enim laborâsti, vt Bohemi animos obfirmarent, ob Electionem Ferdinandi non terrerentur, sed in abdicatione pergerent, & ad bellum perpetuandum inducerentur. Vt ego flammam excitem, minimè opus est, vt distentis buccis carbones inflem; admouere diductum follem possum, quem comprimam, vt ventos spiret. Æolus fuisti Camerari, & per alienum vtrem Eurúmque Notúmque afflâsti.

Legatos Bohemorum, inquis pag. 30. *Francofurtũ admittendos & audiendos esse censui; Idem censuerũt & fortè acriùs ipsi Saxonici. Optaui iam tum non fuisse missos protestandi causâ; maluissem ipsos habuisse mandata de rei summa agendi. Quòd si successisset, fieri potuisset fortassis sine ambagibus, &*

temporis diſpendio pax, nec in Oceanum malorum incidiſſemus, quorum finis nondum apparet.

Nunquam mihi dubium fuit, Camerari, te Bohemis peſſulum, non obditurum, aut repulſurum, aliter iam meriti erant, aliter merituri de te, & Domino tuo. Saxonici ideo eos admitti volebant, vt à pręſentibus pax & obſeruantia in Regem ſuum impetrari poſſet. Sed vbi aduertêre vos technã texere (pręſertim te, qui in litteris ad Prin-
Vide lit. A. cipem Anhaltinum 14. Iulij anno 1619. gloriaris, abs te Saxones neſcio quo tibicine fultos, eóſq; egregiè intonaturos) & pacis conſtituendæ nomina paci aduerſa moliri, deſtitêre Bohemis patrocinari; vobis longè alia mens fuit, quàm quæ videbatur. Nam pacem in arcano deteſtabamini, vti perſpicuum eſt ex ijs, quæ ſuprà ex te recitauimus, niſus es enim omni ope, vt poſt Electionẽ Electores ad pacẽ reuocandam concordes diſgregares & impedires,
„ vt malitiosè hîc ſcribas. Maluiſſem ipſos (Bohemos Fran-
„ cofurtum miſſos) habuiſſe mandata de rei ſumma agendi.
„ Quòd ſi ſucceſſiſſet, fieri potuiſſet ſine ambagibus, &
„ temporis diſpendio pax. Auden' tu obſecro hęc palàm Camerari? Vouiſtíne vnquam pacem properatam & ſine diſpendio temporis? Quid igitur ſcribis 12. Auguſti An-
Vide lit. E. no 1619. ad Principem Anhaltinum: *Concluſam*, ais, *interpoſitionem Electoralis Collegij non potuimus impedire, vtrum eam Bohemi, Confœderatíque admiſſuri ſint, tempus feret.* Hæc ſcilicet pax eſt, pacem

impedi-

impedire: Pacem clamabas, & eius reconciliatorem præferebas, vt Electionem Ferdinandi differres; vbi sententia Electoribus stetit, electionem pacificationi anteponere, pax pessima rerum tibi visa, ideo adnisus es Electores sententijs distrahere, & compositionem pro virili diuellere, sed vt in litteris lamentâris, frustra. Itaque potuisset pax coire, si ambitio non obstitisset, timebas enim pace perdere, quod cupiditate iam possederas.

De mutatione verò, inquis pag. 30. *Domini iniisse tum Bohemos cum Socijs consilia, minimè incognitum, aut obscurum fuit, nam de ea ordinarij cursores semper aliquid Francofurtum perferebant. Adeóne ergo mirum, me quoque eius rei mentionem fortè iniecisse ad primum, & fidissimum Principis mei Consiliarium?* Miseret ipsum me sortis Camerarianæ, quòd à tam multis linguis vapulet ob fortuitam, & sub calamo nascentem mentionem in epistolis eiusmodi rei, quæ à veredarijs publicis vbique spargebatur; priuatim illi nihil constabat, & quotidie manè signo crucis pectus muniuit, vt de alieno regno occupando nulla cogitatio subreperet. *Hoc enim ipsum*, inquit porrò, *dubiè feci, & narratiue tantùm, non consultatiue, vt interpretes Iuris nostri loquuntur, etiam summam meam de toto negotio anxietatem animi, déque Repub. sollicitudinem multis modis demonstraui.* Teneo ser-

prehensus sis, & facinus tuum in propatulo spectetur, non præiudicijs grauaris, sed verâ facti infamiâ.

Ad finem huius Apologiæ propero, inquit Camerarius pag. 32. *Inter alia fraudis artificia hoc etiam non postremum est, quo vsi sunt aduersarij, vt me in odium Serenißimi Principis, Saxoniæ Electoris inijcerent, sparserunt enim, me scripsisse ad nescio quem hæc verba. Non possumus mouere Saxea ista corda, quid superest, nisi vt ipsos vna cum Papistis opprimamus? Non est noua hæc contra me insignis falsitatis inuentio, nec solius personati Fabij, sed vetus, ab alijs etiam originem duxit.*

Præter expectationem meam Camerari apertè fateris te iam olim sinistrâ famâ laceratum ob truculentum calamum; nesciebam id ego; de te aut tui simili legeram, tibi verò in littura tribui, quod vni tibi loquerer, & exprobrarem vni omnia, quæ ad omnes pertinent; nunc ipse tua vineta cædis, nam quando fama diutina est, atque etiam factis congruit, non leuis momenti indicium parit, imò viam ad quęstionem aperit, in qua adhibitis fidiculis & hoc & alia multa à te extorquerem, sed absint tam funesta, quæ vos & nobis & Electori Saxoni struxistis, cuius certum argumentum est, quòd eum possessione beneficiorum deieceritis in Weimariensem Principem translatâ. Qui mihi mea adimit, oppressum me vult, sed vos Saxoni

xoni &c. intelligitisne? Nominari autem post multas in Fabium criminationes postulas tribulem illum, ad quem tam immania perscripta fuêre; edat ille nomen, qui à te hanc infamem phrasin didicit. Quis iste hominum est, dices? Notissimus tibi est. Aureum Doctorem olim illum appellauimus, eò quòd cùm legatione fungeretur, ex aurea tela manicas gestaret, ideo fortasse ne videretur è Polyphemi officina prodire, & heri primùm incudē reliquisse. *Saxonē* ait hic subtilis Doctor, *inhærere adhuc Saxeis suis consilijs*; si huius Doctoris placitis inhęsisset, sapientissima consilia fuissent. Verùm mors nuper eius Saxea quoque fuit, quando subitò sideratus sine sensu interijt, vt ęternùm sentiret. Sed hoc loco maximè tibi cordi est odium, quod tibi conflare molior apud Electorem Saxonem, quasi apud illum Principem inter alios gratiosos inauratis nomen tuum litteris scriptum esset. Quoties tu eum contumeliosis verbis laceràsti? Quoties in ipsum, eiúsq; Consiliarios inimica vibràsti iacula? Veni sodes, detegam tuum in Saxonem animum. In epist. ad Principem Anhaltinum 12. Augusti anno 1619. Vide lit. E

Romanum, inquis, *Imperium in dies magis ac magis libertatem, reputationem, pacem, & securitatem amittit, sane Ecclesiasticorum impulsu, qui sunt homines ad seruitutem nati, sed potissimum Electoris Saxonis culpa, qui Deo & posteris difficulter rationem reddet*. Et in postscripto, vt appellant, ita infis. *No-*

prehensus sis, & facinus tuum in propatulo spectetur, non præiudicijs grauaris, sed verâ facti infamiâ.

Ad finem huius Apologiæ propero, inquit Camerarius pag. 32. *Inter alia fraudis artificia hoc etiam non postremum est, quo vsi sunt aduersarij, vt me in odium Serenissimi Principis, Saxoniæ Electoris inijcerent, sparserunt enim, me scripsisse ad nescio quem hæc verba. Non possumus mouere Saxea ista corda, quid superest, nisi vt ipsos vna cum Papistis opprimamus? Non est noua hæc contra me insignis falsitatis inuentio, nec solius personati Fabij, sed vetus, ab alijs etiam originem duxit.*

Præter expectationem meam Camerari apertè fateris te iam olim sinistrâ famâ laceratum ob truculentum calamum; nesciebam id ego; de te aut tui simili legeram, tibi verò in littura tribui, quod vni tibi loquerer, & exprobrarem vni omnia, quæ ad omnes pertinent; nunc ipse tua vineta cædis, nam quando fama diutina est, atque etiam factis congruit, non leuis momenti indicium parit, imò viam ad quęstionem aperit, in qua adhibitis fidiculis & hoc & alia multa à te extorquerem, sed absint tam funesta, quæ vos & nobis & Electori Saxoni struxistis, cuius certum argumentum est, quòd eum possessione beneficiorum deieceritis in Weimariensem Principem translatâ. Qui mihi mea adimit, oppressum me vult, sed vos Saxoni

xoni &c. intelligitiſne? Nominari autem poſt multas in Fabium criminationes poſtulas tribulem illum, ad quem tam immania perſcripta fuêre; edat ille nomen, qui à te hanc infamem phraſin didicit. Quis iſte hominum eſt, dices? Notiſſimus tibi eſt. Aureum Doctorem olim illum appellauimus, eò quòd cùm legatione fungeretur, ex aurea tela manicas geſtaret, ideo fortaſſe ne videretur è Polyphemi officina prodire, & heri primùm incudē reliquiſſe. *Saxonē* ait hic ſubtilis Doctor, *inhærere adhuc Saxeis ſuis conſilÿs*; ſi huius Doctoris placitis inhęſiſſet, ſapientiſſima conſilia fuiſſent. Verùm mors nuper eius Saxea quoque fuit, quando ſubitò ſideratus ſine ſenſu interijt, vt ęternùm ſentiret. Sed hoc loco maximè tibi cordi eſt odium, quod tibi conflare molior apud Electorem Saxonem, quaſi apud illum Principem inter alios gratioſos inauratis nomen tuum litteris ſcriptum eſſet. Quoties tu eum contumelioſis verbis laceràſti? Quoties in ipſum, eiúſq; Conſiliarios inimica vibrâſti iacula? Veni ſodes, detegam tuum in Saxonem animum. In epiſt. ad Principem Anhaltinum 12. Auguſti anno 1619. Vide lit. E

Romanum, inquis, *Imperium in dies magis ac magis libertatem, reputationem, pacem, & ſecuritatem amittit, ſane Eccleſiaſticorum impulſu, qui ſunt homines ad ſeruitutem nati, ſed potiſſimum Electoris Saxonis culpa, qui Deo & poſteris difficulter rationem reddet*. Et in poſtſcripto, vt appellant, ita infis. *No-*

prehensus sis, & facinus tuum in propatulo spectetur, non præiudicijs grauaris, sed verâ facti infamiâ.

Ad finem huius Apologiæ propero, inquit Camerarius pag. 32. *Inter alia fraudis artificia hoc etiam non postremum est, quo vsi sunt aduersarij, vt me in odium Serenissimi Principis, Saxoniæ Electoris injicerent, sparserunt enim, me scripsisse ad nescio quem hæc verba. Non possumus mouere Saxea ista corda, quid superest, nisi vt ipsos vna cum Papistis opprimamus? Non est noua hæc contra me insignis falsitatis inuentio, nec solius personati Fabij, sed vetus, ab alijs etiam originem duxit.*

Præter expectationem meam Camerari apertè fateris te iam olim sinistrâ famâ laceratum ob truculentum calamum; nesciebam id ego; de te aut tui simili legeram, tibi verò in littura tribui, quod vni tibi loquerer, & exprobrarem vni omnia, quæ ad omnes pertinent; nunc ipse tua vineta cædis, nam quando fama diutina est, atque etiam factis congruit, non leuis momenti indicium parit, imò viam ad quęstionem aperit, in qua adhibitis fidiculis & hoc & alia multa à te extorquerem, sed absint tam funesta, quæ vos & nobis & Electori Saxoni struxistis, cuius certum argumentum est, quòd eum possessione beneficiorum deieceritis in Weimariensem Principem translatâ. Qui mihi mea adimit, oppressum me vult, sed vos Sa-

xoni

xoni &c. intelligitiſne? Nominari autem poſt multas in Fabium criminationes poſtulas tribulem illum, ad quem tam immania perſcripta fuêre, edat ille nomen, qui à te hanc infamem phraſin didicit. Quis iſte hominum eſt, dices? Notiſſimus tibi eſt. Aureum Doctorem olim illum appellauimus, eò quòd cùm legatione fungeretur, ex aurea tela manicas geſtaret, ideo fortaſſe ne videretur è Polyphemi officina prodire, & heri primùm incudē reliquiſſe. *Saxonē* ait hic ſubtilis Doctor, *inhærere adhuc Saxeis ſuis conſilÿs*; ſi huius Doctoris placitis inhęſiſſet, ſapientiſſima conſilia fuiſſent. Verùm mors nuper eius Saxea quoque fuit, quando ſubitò ſideratus ſine ſenſu interijt, vt ęternùm ſentiret. Sed hoc loco maximè tibi cordi eſt odium, quod tibi conflare molior apud Electorem Saxonem, quaſi apud illum Principem inter alios gratioſos inauratis nomen tuum litteris ſcriptum eſſet. Quoties tu eum contumelioſis verbis laceràſti? Quoties in ipſum, eiúſq; Conſiliarios inimica vibràſti iacula? Veni ſodes, detegam tuum in Saxonem animum. In epiſt. ad Principem Anhaltinum 12. Auguſti anno 1619. Vide lit. E

Romanum, inquis, *Imperium in dies magis ac magis libertatem, reputationem, pacem, & ſecuritatem amittit, ſane Eccleſiaſticorum impulſu, qui ſunt homines ad ſeruitutem nati, ſed potiſſimum Electoris Saxonis culpa, qui Deo & poſteris difficulter rationem reddet.* Et in poſtſcripto, vt appellant, ita infis. *No-*

prehensus sis, & facinus tuum in propatulo spectetur, non præiudicijs grauaris, sed verâ facti infamiâ.

Ad finem huius Apologiæ propero, inquit Camerarius pag. 32. *Inter alia fraudis artificia hoc etiam non postremum est, quo vsi sunt aduersarij, vt me in odium Serenissimi Principis, Saxoniæ Electoris iniicerent, sparserunt enim, me scripsisse ad nescio quem hæc verba. Non possumus mouere Saxea ista corda, quid superest, nisi vt ipsos vna cum Papistis opprimamus? Non est noua hæc contra me insignis falsitatis inuentio, nec solius personati Fabij, sed vetus, ab alijs etiam originem duxit.*

Præter expectationem meam Camerari apertè fateris te iam olim sinistrâ famâ laceratum ob truculentum calamum; nesciebam id ego; de te aut tui simili legeram, tibi verò in littura tribui, quod vni tibi loquerer, & exprobrarem vni omnia, quæ ad omnes pertinent; nunc ipse tua vineta cædis, nam quando fama diutina est, atque etiam factis congruit, non leuis momenti indicium parit, imò viam ad quęstionem aperit, in qua adhibitis fidiculis & hoc & alia multa à te extorquerem, sed absint tam funesta, quæ vos & nobis & Electori Saxoni struxistis, cuius certum argumentum est, quòd eum possessione beneficiorum deieceritis in Weimariensem Principem translatâ. Qui mihi mea adimit, oppressum me vult, sed vos Sa-

xoni

xoni &c. intelligitísne? Nominari autem post multas in Fabium criminationes postulas tribulem illum, ad quem tam immania perscripta fuêre; edat ille nomen, qui à te hanc infamem phrasin didicit. Quis iste hominum est, dices? Notissimus tibi est. Aureum Doctorem olim illum appellauimus, eò quòd cùm legatione fungeretur, ex aurea tela manicas gestaret, ideo fortasse ne videretur è Polyphemi officina prodire, & heri primùm incudē reliquisse. *Saxonē* ait hic subtilis Doctor, *inhærere adhuc Saxeis suis consilÿs*; si huius Doctoris placitis inhęsisset, sapientissima consilia fuissent. Verùm mors nuper eius Saxea quoque fuit, quando subitò sideratus sine sensu interijt, vt ęternùm sentiret. Sed hoc loco maximè tibi cordi est odium, quod tibi conflare molior apud Electorem Saxonem, quasi apud illum Principem inter alios gratiosos inauratis nomen tuum litteris scriptum esset. Quoties tu eum contumeliosis verbis laceràsti? Quoties in ipsum, eiúsq; Consiliarios inimica vibràsti iacula? Veni sodes, detegam tuum in Saxonem animum. In epist. ad Principem Anhaltinum 12. Augusti anno 1619. Vide lit. E

Romanum, inquis, *Imperium in dies magis ac magis libertatem, reputationem, pacem, & securitatem amittit, sane Ecclesiasticorum impulsu, qui sunt homines ad seruitutem nati, sed potissimum Electoris Saxonis culpa, qui Deo & posteris difficulter rationem reddet*. Et in postscripto, vt appellant, ita infis. *No-*

animaduertere liceat, quæ non vana fuisse euentus ostendit. Nihil in illis tale, quo Bohemi inflammentur, ad quos nec debuerunt, nec potuerunt peruenire istæ meæ litteræ. Hæc omnia magnificè, & gloriosè, mi Camerari, si quæ sunt asperiora, aut Catholicis periculosiora in tuis litteris, ea aliorum sunt; quæ tu tantùm refers, & absque dubitatione etiam improbas. Ridiculum effugium? & quod soli Bæoti credunt, credo tamen alterum, quod subnectis, nimirum *te sollicitudinem de futuris non dissimulare*; probè & verè atque idcircò tantæ tibi curæ fuit continuatio belli Bohemici, nihilque magis anxiè timuisti, quàm nè pax coïret. Quæ de libertatis amore profers, cum discrimine accipio; omnino præ te tulisti studium libertatis, sed tuæ tantùm & tuorum, nostram oppressum ibas. Cur autem magnopere laborâsti, vt tu & tui liberi essent? an ceruicibus imminebat vestris Turca in seruitutem vos ducturus? Non erat in Imperio vllum libertatis periculum, etiamsi de Bohemię solio Ferdinandus non deijceretur, neque idem vlli etiam Caluinistæ compedes iniecisset ad Imperium euectus. Licentiam quęsîsti, sed malâ sorte; nam ad alienum iugum ingemiscis, & meritò cum exule Nasone ingeminas ex alto malorum prospectans:

Interdicta mihi cernitur heu patria!

Verùm cùm Augurio valeas, etiam absens patriam, & quæ in ea geruntur, intueris, vt minùs doleam te tam pro-

cul re-

cul relegatum. Quæ sunt illa tua prognostica? Si lamentabilem tui Principis euentum prospexisti? Ecquid tam perfidus fuisti in Principem tuum, vt ei inimica astra & Iouis fulminaturi iras non ostenderis? iuuenem in suum, aliorúmque exitium ruentem non continueris? Nónne ipse scripsisti, occupatâ iam regni prędâ, Principem tuum Maiestatis sede potitum, Dei & fortunæ fauore? Si Dei fauore potitus est regno, quid in auguratione tua vidisti? Si pulli non addixêre, & infelix tragœdiæ finis fuit, tuo adulatus es Domino, cùm ei in re iniqua, & omnibus Superis aduersa, atque illum perditura Dei fauorem prędicâsti? Porrò si litteræ tuæ non debuerunt venire ad Bohemos, res ipsa debuit peruenire; proptereà enim laborâsti, vt Bohemi animos obfirmarent, ob Electionem Ferdinandi non terrerentur, sed in abdicatione pergerent, & ad bellum perpetuandum inducerentur. Vt ego flammam excitem, minimè opus est, vt distentis buccis carbones inflem; admouere diductum follem possum, quem comprimam, vt ventos spiret. Æolus fuisti Camerari, & per alienum vtrem Eurúmque Notúmque afflâsti.

Legatos Bohemorum, inquis pag. 30. *Francofurtũ admittendos & audiendos esse censui; Idem censuerũt & fortè acriùs ipsi Saxonici. Optaui iam tum non fuisse missos protestandi causâ; maluissem ipsos habuisse mandata de rei summa agendi. Quòd si successisset, fieri potuisset fortaßis sine ambagibus, &*

temporis dispendio pax, nec in Oceanum malorum incidissemus, quorum finis nondum apparet.

Nunquam mihi dubium fuit, Camerari, te Bohemis pessulum, non obditurum, aut repulsurum, aliter iam meriti erant, aliter merituri de te, & Domino tuo. Saxonici ideo eos admitti volebant, vt à præsentibus pax & obseruantia in Regem suum impetrari posset. Sed vbi aduertêre vos technâ texere (præsertim te, qui in litteris ad Principem Anhaltinum 14. Iulij anno 1619. gloriaris, abs te Saxones nescio quo tibicine fultos, eósq; egregiè intonaturos) & pacis constituendæ nomina paci aduersa moliri, destitêre Bohemis patrocinari; vobis longè alia mens fuit, quàm quæ videbatur. Nam pacem in arcano detestabamini, vti perspicuum est ex ijs, quæ suprà ex te recitauimus, nisus es enim omni ope, vt post Electionē Electores ad pacē reuocandam concordes disgregares & impedires, vt malitiosè hîc scribas. Maluissem ipsos (Bohemos Francofurtum missos) habuisse mandata de rei summa agendi. Quòd si successisset, fieri potuisset sine ambagibus, & temporis dispendio pax. Auden' tu obsecro hęc palàm Camerari? Vouistíne vnquam pacem properatam & sine dispendio temporis? Quid igitur scribis 12. Augusti Anno 1619. ad Principem Anhaltinum: *Conclusam*, ais, *interpositionem Electoralis Collegij non potuimus impedire, vtrum eam Bohemi, Confœderatíque admissuri sint, tempus feret.* Hæc scilicet pax est, pacem

Vide lit. A.

Vide lit. E.

impedire: Pacem clamabas, & eius te conciliatorem præferebas, vt Electionem Ferdinandi differres; vbi sententia Electoribus stetit, electionem pacificationi anteponere, pax pessima rerum tibi visa, ideo adnisus es Electores sententijs distrahere, & compositionem pro virili diuellere, sed vt in litteris lamentâris, frustra. Itaque potuisset pax coire, si ambitio non obstitisset, timebas enim pace perdere, quod cupiditate iam possederas.

De mutatione verò, inquis pag. 30. *Domini iniisse tum Bohemos cum Socijs consilia, minimè incognitum, aut obscurum fuit, nam de ea ordinarij cursores semper aliquid Francofurtum perferebant. Adeóne ergo mirum, me quoque eius rei mentionem fortè iniecisse ad primum, & fidissimum Principis mei Consiliarium?* Miseret ipsum me sortis Camerarianæ, quòd à tam multis linguis vapulet ob fortuitam, & sub calamo nascentem mentionem in epistolis eiusmodi rei, quæ à veredarijs publicis vbique spargebatur; priuatim illi nihil constabat, & quotidie manè signo crucis pectus muniuit, vt de alieno regno occupando nulla cogitatio subreperet. *Hoc enim ipsum*, inquit porrò, *dubiè feci, & narratiue tantùm, non consultatiue, vt interpretes Iuris nostri loquuntur, etiam summam meam de toto negotio anxietatem animi, déque Repub. sollicitudinem multis modis demonstraui.* Teneo ser-

pentem, quantumuis lubricum. Quæso quid dubij ad Seditionem Bohemicam pertinentis Anhaltino exposuisti? Dubitásne an è Republicâ esset cum motu totius Orbis legitimo Regi Imperium abrogare? pulcherrimũ in tanto Iurisperito dubium! Dubitásne an Bohemis in rebellione persistendum esset? egregium rursus dubium in eo, qui Doctoris insignia suscepit, certis verbis iuramento Cęsareæ saluti cauit! Narrationem scripsisti, non consultationem: scilicet ad narrationem hæc verba pertineant, Bohemos esse animandos, ne ob nuntium electi Imperatoris animos demittant, cogitandum de belli continuatione, & quæ huius generis sunt, ista non sunt *narratiua*, sed *consultatiua*, & quæ merentur læsę Maiestatis pœnam.

Denique ais pag. 31. *Electionem Romanorum Regis differri, donec pacata esset Bohemia, atque eo ipso firmata pax Germaniæ, omnes ex æquo sæcularium Electorum Legati ex singularibus mandatis vrserunt. Cur igitur mihi potißimùm hoc impedimentum adscribitur.*

Inter primos impigro, & Principi rerum turbatori potissimùm culpa adscribitur Camerario. Saxo Elector ad pacem festinabat, vt Imperium pacatum nouo Cęsari traderetur. Vos per pacem non quærebatis pacem: Æthiops iam nouerat Æthiopem, Palatinus Bohemum, anni tres pluresue litibus absumpti fuissent; & his finitis

non

non fuisset lis finita; Intereà firmare res suas Bohemi poterant; poterat & Palatinus præsertim Vicariâ Maiestate functus; & pax à vobis petebatur, non vt fieret, sed ne Ferdinandus Cæsar fieret, ita vt non solùm regno Bohemiæ, sed etiam ab Imperio excluderetur.

Hoc potiùs dico, ais pag. 32. *& ita iura statuunt in negotijs Remp. spectantibus, in quibus officij ratio: iurisiurandi necessitas, & mandata Principum interueniunt, non palam auditos, non palam defensos, sed iniustis præiudicijs temerè grauatos, & calumniæ publicæ maleuolorum liuore obiectos, eo ipso innocentiæ laudem mereri ac consequi, fortissimâ præsumptione apud omnes, quibus à turbidis affectibus mens est adhuc libera.*

Præclarè disputas, Camerari, sed meliori viro, quàm tu sis, conuenientia, nulla iurisiurandi necessitas, nulla mandata te defendunt. In Domini tui verba nec iurâsti, nec iurare potuisti, te aut consilio, aut facto ei adfuturum in re iniusta, in occupatione regni alieni; neque ad facinora patranda vllum mandatum vim habuit. Si in rebus permissis, si iure concessis operam præstitisses, muneri te tuo satisfecisse iudicâssem. Quòd si neutrum mihi constitisset, aut temerè laudâssem, aut temerè vituperâssem, & non iniuriâ Prętoriæ ferulæ tuæ subijcerer; nunc cùm damnato in studio aduersus supremum imperij caput deprehen-

prehensus sis, & facinus tuum in propatulo spectetur, non præiudicijs grauaris, sed verâ facti infamiâ.

Ad finem huius Apologiæ propero, inquit Camerarius pag. 32. *Inter alia fraudis artificia hoc etiam non postremum est, quo vsi sunt aduersarij, vt me in odium Serenißimi Principis, Saxoniæ Electoris inijcerent, sparserunt enim, me scripsisse ad nescio quem hæc verba. Non possumus mouere Saxea ista corda, quid superest, nisi vt ipsos vna cum Papistis opprimamus? Non est noua hæc contra me insignis falsitatis inuentio, nec solius personati Fabij, sed vetus, ab alijs etiam originem duxit.*

Præter expectationem meam Camerari apertè fateris te iam olim sinistrâ famâ laceratum ob truculentum calamum; nesciebam id ego; de te aut tui simili legeram, tibi verò in littura tribui, quod vni tibi loquerer, & exprobrarem vni omnia, quæ ad omnes pertinent; nunc ipse tua vineta cædis, nam quando fama diutina est, atque etiam factis congruit, non leuis momenti indicium parit, imò viam ad quęstionem aperit, in qua adhibitis fidiculis & hoc & alia multa à te extorquerem, sed absint tam funesta, quæ vos & nobis & Electori Saxoni struxistis, cuius certum argumentum est, quòd eum possessione beneficiorum deieceritis in Weimariensem Principem translatâ. Qui mihi mea adimit, oppressum me vult, sed vos Sa-

xoni

xoni &c. intelligitisne? Nominari autem post multas in Fabium criminationes postulas tribulem illum, ad quem tam immania perscripta fuêre; edat ille nomen, qui à te hanc infamem phrasin didicit. Quis iste hominum est, dices? Notissimus tibi est. Aureum Doctorem olim illum appellauimus, eò quòd cùm legatione fungeretur, ex aurea tela manicas gestaret, ideo fortasse ne videretur è Polyphemi officina prodire, & heri primùm incudẽ reliquisse. *Saxonẽ* ait hic subtilis Doctor, *inhærere adhuc Saxeis suis consilijs*; si huius Doctoris placitis inhęsisset, sapientissima consilia fuissent. Verùm mors nuper eius Saxea quoque fuit, quando subitò sideratus sine sensu interijt, vt ęternùm sentiret. Sed hoc loco maximè tibi cordi est odium, quod tibi conflare molior apud Electorem Saxonem, quasi apud illum Principem inter alios gratiosos inauratis nomen tuum litteris scriptum esset. Quoties tu eum contumeliosis verbis laceràsti? Quoties in ipsum, eiúsq; Consiliarios inimica vibràsti iacula? Veni sodes, detegam tuum in Saxonem animum. In epist. ad Principem Anhaltinum 12. Augusti anno 1619. Vide lit. E

Romanum, inquis, *Imperium in dies magis ac magis libertatem, reputationem, pacem, & securitatem amittit, sane Ecclesiasticorum impulsu, qui sunt homines ad seruitutem nati, sed potißimum Electoris Saxonis culpa, qui Deo & posteris difficulter rationem reddet*. Et in postscripto, vt appellant, ita infis. *No-*

bis admodum dolet Saxonem per malos Consiliarios tam turpiter seduci, & sine causa, & sub prætextu falsissimo Rempublicam vulnerari. Nam qualia mãdata eius sint, ostendunt acta, & sunt hi fructus inde, quod Saxo nunquam potuerit adigi ad iustam & sinceram correspondentiam. Si Saxo vno tantum verbo cum Palatino communicasset, quid potestatis suis dedisset, lubentes nos ei accommodassemus, iam de sepe causa decerpuntur, & quis scit, an non mysterium lateat ad onerandum Palatinum apud alios Euangelicos odio & inuidia? Et paulò pòst. *In summa; quæsita, & colorata ista sunt, per quæ tamen salus Reipublicæ insigniter læditur. Deus vindicabit, omne enim malum in Saxonem deuoluetur.* Hæc vnis in litteris satis copiosè, mi Camerari, superest tantùm, vt Electori Saxoni etiam pestem imprecceris, & tu eâ moriaris, Medicum enim Dresdâ non impetrabis.

At necdũ finis, litteris ad Cancellariũ Heidelbergẽs. datis 26. Octob. anno 1619. eiusmodi scribis. *Dux Weinmariensis, qui promiserat se Regem nostrum (Pragã) comitari velle, emansit; & iam omnino silet. Dresdâ procul dubito id ei intimatum. Sed spero Saxones Consiliarios malè affectos aliquando confusum iri.* Quę de alijs speras Camerari, hæc tibi obtingunt, confusus, vt tecum loquar, satis es, modò satis emendareris.

Vide lit. F.

Bonita-

Bonitatem, ais, pag. 34. *Lutheranorum Catholici ſcriptores circumueniunt, cùm diuortium inter Auguſtanæ Confeſſionis Proceres facientes inter ipſos mortifera diſſidia ex eiuſmodi falſis criminationibus ſerere conantur. Cunctis pariter machinantur perniciem.* Parce ſtomacho, mi Camerari, ne quid eiectet, cuius fætorem honeſtæ nares horreant. Quis ex nobis ſemina diſſidiorum inter Auguſtanæ profeſſionis Proceres excitauit? Demus autem nos eſſe (quod tamen falſiſſimũ eſt) diſcordiarum ſatores, quos Principes Confeſſioni addictos commiſimus? quem irritauimus? quorum bellorum auctores ſumus? Nunc cùm ex veſtris ſcriptis Lutheranos Principes monemus, vt inſidiantes aſpides caueãt, vt ſaluti ſuę inter infidos Caluiniſtas inuigilent, diſſidia parimus inter Auguſtanæ Confeſſionis Proceres, id eſt, inter Caluiniſtas & Lutheranos, quaſi Caluiniſtę Confeſſionis Auguſtanæ nomine gloriari poſſent; gloriari poſſunt, ſicut Regio in Bohemia titulo. In caſſum niteris, mi Camerari, ad Lutheranorum iura, & priuilegia aſpirare; dignus es potiùs, vt tùm à Lutheranis, tum à Catholicis ex Imperio cum tuis relegeris, quia vtriſque & clàm inſidias ſtruxiſtis, & palam interitum adferre cõtendiſtis. *Meam verò ſemper*, ais pag. 34. *& vbiq; ſententiam fuiſſe, religionem ad ſecuritatem nemini fraudi eſſe debere. ſciunt omnes, qui me norunt, qui perſecutionem omnem*

inter Christianos ex animo abominatus sum. Laudo clementiam tuam, Camerari, sed intra modum, quia eandem inuenio apud Anabaptistas, qui & ipsi læsę religionis rei, omnem hoc in genere vim horrent & detestantur, primò omnium subituri iudicium, si seuerius ferrent. Haud aliter Camerarius sentit suâ causâ, nam cùm eius religio in Imperio probata non sit, vtiq; disputat religionem nulli debere esse fraudi, quia si prauæ religionis sectatores proscriberentur, ipse Antesignanus solum vertere cogeretur.

Magno certe cum labore, inquis, pag. 34. *cura & sollicitudine diu hoc vna cum alijs egi, præsertim in Comitijs Imperij, vt tandem æquæ compositionis honesta aliqua ratio inueniri, inirię possset, cuius rei testes multos etiam magnos viros ex Pontificiis laudare licet.*

Curâ & sollicitudine te turbâsse Comitia veriùs scripsisses. Concordiam quęsiuisti tibi acceptam, quâ tu, quę volebas, sumeres, & nos retineremus, quod relinqueres. Composita pax fuisset tuâ operâ, si Catholici dixissent; Quos contra ius & pacta nobis occupâstis Episcopatus, Monasteria, templa, vestro relinquimus arbitrio, imò quę adhuc in manu nostra sunt, æquatis partibus vobiscum diuidimus. Sellis in tribunali Imperij cedimus, vt vos insideatis; Iudici Catholico auctoritatem abrogamus, & Caluinistam sufficimus, nostra omnia libidini Heidelbergẽsi

permit-

permittimus; momētò, Camerario præcone pia pax proclamata fuisset: sed si hæc æqua videri debebat, iam simili frueris omnibus fortunæ bonis amissis: serua. Quæ de Legatione Oenipontana refers, mihi incognita sunt; scio tamen te vbiq; tibi æqualem fuisse, seu Oeniponti, seu alibi.

Etiam Iconomachiam Pragensem non excusas; nam etsi absens fueris corpore, consilio abfuisse non probas: Scultetus tam immanis audaciæ non fuisset, vt nesciâ arcani Senatus Maiestate sacrilegas manus inijceret, & tam sanctam, verendámq; regij templi vetustatem temeraret. Nec audire possum de tuo desiderio pacis; multis annis volutâstis animo bellum, & vix expectare potuistis parturientem equi Troiani rupturam.

Sufficiant ista pauca, inquis pag. 36. *sed vera, sed aperta, & candida ad defensionem meam, & laruæ mendaciorum Calumniatoribus detractæ insanos homines pudeat.*

Eo & ego pedibus in hanc sententiam, Camerari, ista sufficere, nam si plura adferres, fama tua magis denigraretur; genus enim excusationis, quo tu vteris, facinora aggrauat. *Non feci, testor Deum, testor conscientiā, Non memini, fit mihi iniuria; hostes mentiuntur, inuidia, & maleuolentia in me grassantur, scripsi pleraq; aut iussus, aut per modū discursus.* Hæc certè & alia id genus, cùm factū omnibus inclaruit, cùm vidimus, cùm audiuimus, cùm sensimus, nihil malā causam minuunt Ca-

merari, ſed augent delictum, quo inuolutus es, & inuolutus morieris, quocunque te vertas.

Glorietur, ais pag. 36. ad finem, *quantum volet in ſuis victoriis, vt Pyrgopolinices quidam Fabius. Ego cum Ariſtippo victus abibo iucundiùs dormiturus, quam ipſe victor.* Bona nox ergo, mi Camerari, dormi, dormi, nunquã ſoles eſſe ſanctior, quia omnes vigiliæ tuæ in noſtram perniciem intenduntur; nunquam enim pœnitet nobis nocuiſſe, pœnitet nocuiſſe minus.

Si vlterius ais pag. 37. *me allatrare maledici volent, magno animo ſpernam, & ſilebo. Vindictam relinquam Deo Opt. Max. Nunc pio voto claudo hoc ſcriptũ cum regio Pſalte: Muta fiãt labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum.* E fama tua fuiſſet Camerari, ſi & antehac, & iam ſiluiſſes, ſera ſapientia præteritorum eſt. Vindictam & nos Deo relinquimus, eóq; magis quod is illam in rebelles exerceat, quod nec tu neſcis, quia experiris. Apagè cum pio tuo voto; ſi nulla alia Caluiniſtis pietas, quàm malam peſtem hominibus imprecari, & moliri, næ ipſi eximiè pij ſunt! audi; ſi obmuteſcere oportet os aduerſus iuſtum loquens, loquaciſſimum fieri debet aduerſus iniuſtum, qualis tu es, & tu hanc ſolùm ob cauſam te hîc iuſtum appellas,

Subſcribo.